VITT. EMANUELE

Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
39 I
28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA DE SANCTISSIMA CRVCE CARAVACENSI

PRIMVM

A R. D. IOANNE ROBLES CORVALAN
SS. Theologiæ Licentiato Hiſpanicè conſcripta;

DEINDE
In Latinum compendium redacta

A R. P. Melchiore Treuinnio Hiſpano, Societatis
IESV *Theologo.*




AVGVSTAE VINDELICORVM.

Anno Chriſti M. DCXIX.

8. 39 I 28
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

IN INSIGNIA ILLVSTRIS DOMINI IOANNIS ERNESTI FVGGERI, &c.



Quàm locuples Atauûm cera eſt, Erneſte, tuorum?
Quamq; in non magno gloria magna typo?
Maura, Corona, Aures, Mitra, Lilia, Cornua, Torques;
Sunt ea Fuggaricæ ſymbola nota Domus.
Hæc peperit claris quondam tibi maſcula factis
Aeterno virtus non moritura die.
Et quia laus eadem eſt peperiſſe, & parta tueri,
Addo Crucem, clypeum qua tueare tuum.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRI AC GE-
NEROSO D. D. IOANNI ER-
NESTO FVGGERO, BARONI IN

Kirchberg & VVeiſſenhorn, Equiti Ordinis S. IACOBI in Galitia, S. C. M.^{tis} Conſiliario, ac Ser.^{mi} Ferdinandi Vngariæ, Boëmiæq; Regis, &c. Cubiculario, &c.

Domino ſuo plurimùm obſeruando.

QVOT, quantiſq; naturæ dotibus, Illuſtris ac Generoſe Domine, præ multis alijs Orbis Regionibus Hiſpania à DEO nobilitata ſit, non ſolùm Latini ac Græci ſcriptores grauiſſimi prodiderunt; verùm etiam ipſæ diuinæ literæ haud obſcurè teſtantur, dum vnum & alterum genus commemorant, quo omnium fere mortalium votis nihil gratius aut optabilius eſſe ſolet. Romanos enim orbis Dominos 1. Mach. 8. legimus *in ſuam poteſtatem redegiſſe metalla auri & argenti, quæ illic ſunt*. Quid verò in rebus iſtis terrenis, communi omnium opinione, horum metallorum quaſi beneficio non parabile cenſetur? Cæterùm omiſſis nunc id genus ornamentis fluxis atq; caducis, imò etiam ijs (quantumuis multis ac magnis) quibus Hiſpaniam vera Chriſti religio florentiſſimam effecit, ea nunc aliquot ſæculis theſaurum poſſidet omnibus metallis ac gemmis, quas vel Orientis vel Occidentis India copioſè profert, longè præferendum: Sacroſanctam dico Crucem illam, quæ à Carauacâ, Hiſpaniæ celebri oppido, vulgò nomen ſortita eſt. Illius enim cultus iam olim ibi mirabiliter inchoatus, nunc eò vſq; propagatus eſt, vt non ſolùm in v-

niuerſâ Hiſpaniâ, verùm etiam in omnibus pæne orbis prouincijs, in vtriusq; etiam Indiæ, Iaponiæ, Chinæq; remotiſſimis regionibus, Chriſtianorum animos admirando pietatis ſenſu occupârit. Quis enim verè Catholicus vſpiam terrarum commorans non feliciorem, & aduerſus tam varios huius miſeræ vitæ caſus, præſertim verò tempeſtates & fulmina, tutiorem ſeſe, imò etiam quæcunq; ſua, exiſtimat, ſi vel modicam eiusmodi crucem, archetypi illius Carauacenſis attactu priùs ſacratam, obtinuerit? Cùm igitur aliquot abhinc annis, piorũ quorundam laudatiſſimo ſtudio, eiusdem S. Crucis religio in noſtrâ quoq; Germaniâ increbuiſſet, & illius exemplaria ſeu ſigna metallica nonnullis obueniſſent optatiſſima, non defuerunt etiam Magnates ac Principes, qui de huius S. Crucis origine, admirandisq; effectibus, quos DEVS per eam vbiq; terrarum ſæpiſſimè operatur, plura certiùs cognoſcere cupiebant. Quorum pio deſiderio, vt ſatisfieret, dedi operam, vt, quæ nonnulli graues ac probati auctores de hoc argumento ſuis in libris annotaſſent (plenam enim ac copioſam narrationem nusquam inuenire poteram) ea breuiter tam Germanicè quàm Latinè, quin etiam, pro iſtius S. Crucis honore amplificando, & Patrum noſtrorum, qui in Græcia iuuentutem erudiunt, pio ſolatio, Græcè quoq; typis Auguſtæ euulgaretur: quam opellam meam cùm noſtratibus, tum Hiſpanis, & maximè Carauacenſibus, non diſplicuiſſe ipſorum literæ ad me datæ ſatis declarant. Verùm id genus libellis quoquo verſus ſparſis, illum ſciendi ardorem non modò non extinctum, ſed in multis vehementiùs inflammatum eſſe conſtat, non tamen absq; meo & aliorum dolore, eò quòd indagandi alia, quæ deſiderabantur, occaſionem &

idoneo-

idoneorum ſcriptorum penuria,& tanta locorum diſtantia mihi negaret. Quare præclaram & æternâ memoriâ dignam operam R. D. Ioannes de Robles Corualan, patriâ Carauacenſis, S. Theologiæ Licentiatus, adeoq; iſtius S. CRVCIS Capellanus præſtitit; qui de eâ hiſtoriam non ſolùm ex pluribus fide dignis autoribus (quorum nonnullorum ne nomina quidem in Germaniâ ſat nota antè fuerant) ſed etiam ex fragmentis literarum & teſtimoniorum Carauacæ repertorum, ex codicibus manu ſcriptis, ex Characteribus Gothicis, ex picturis & lapidũ inſcriptionibus vetuſtiſſimis, omnibusq; venerandæ antiquitatis monumentis, ſummâ fide Hiſpanicè conſcriptam Matriti in lucem edidit; atq; pro ſuo in me ſtudio illius exemplar ad me Auguſtam miſit, amicè hortans, vt in noſtratium gratiam Latinè publicandum curarem. Huius igitur præſtantis operis fructu, ne Germania aliæq; nationes linguam Hiſpanam non callentes fruſtrarentur, haud longâ morâ interpoſitâ, per literas egi cum R. P. Melchiore Treuinnio Hiſpano, Societatis noſtræ Theologo, tot iam vtiliſſimis interpretationibus eiusmodi percelebri; qui hunc laborem haud inuitus ſuſcepit, ijs tamen conſultò omiſſis, quorum narrationem (vtpote de rebus ac perſonis quibusdam patrijs ac proprijs) Hiſpanis quàm Germanis gratiorem fore non ignorabat; vt proinde opuſculum hoc Latinum hiſtoriæ illius Hiſpanicæ, cùm iucundum, tum ad huius S. CRVCIS venerationem propagandam perutile compendium nemini non, Latinè docto, futurum exiſtimandũ ſit. Quod nunc meâ curâ Auguſtæ edendum cur Illuſtri D. V.æ dedicetur duæ potiſſimùm cauſæ ſunt. Vna, quòd, cùm Carauaca huius S. CRVCIS, adeoq; maximi & pretioſiſſimi theſauri tot iam

)(3 anno-

Digitized by Google

annorum decurſu fidelis Cuſtos, ſubiecta ſit Illuſtriſſimo Ordini Equitum S. Iacobi, cui Illuſtris D. V. tertio abhinc anno, Catholici Hiſpaniarũ, &c. Regis auctoritate ac ſingulari fauore, Pragæ ſolemni cum cerimonia aſcripta eſt, nullus mihi in hac vrbe, licet ampliſſima, occurrat, cui hic libellus de hac ipſa S. CRVCE Carauacenſi editus maiori iure debeatur: vt taceam cultus eidem S. CRVCI religioſè impendendi propagationem in Germania hactenus factam, nemini potiùs tribuendam eſſe, quàm verè Catholicæ pietati Illuſtris Domus Fuggericæ (in qua Illuſtris D. V. multùm hoc tempore eminet) ipſiusq; miniſtris, qui antè in Hiſpania fuerunt, aut etiamnum ibidem verſantur. Altera cauſa (& quidem potior) quòd id officij à Collegio Auguſtano exigat ipſa gratitudo erga Illuſtrem D. Chriſtophorum Fuggerum, &c. piæ memoriæ, Illuſtris D. V. parentem, qui illud munificâ ſuâ ac ſingulari liberalitate, ſibi ac poſteris ſuis perpetuò deuinxit. Quando igitur in filio, vt paternarum virtutum, ita etiam beneuolentiæ erga hoc Collegium, imò Societatem noſtram vniuerſam tot argumenta videmus, haud immeritò gratũ omnium noſtrum, qui Auguſtæ viuimus, animum hoc qualiquali opuſculo tantiſper nunc declaramus, dum maiora præſtandi occaſionem adipiſcamur. Deus Opt. Max. Illuſtrem D. V. ad totius item Illuſtris familiæ Fuggericæ, inprimis verò ad Reip. Catholicæ bonum (de quo ipſius maiores laudatiſſimi varijs modis, plurimisq; in locis, præſertim Auguſtæ, tam præclarè meriti ſunt) in multos annos conſeruet incolumem. Auguſtæ Vindelicorũ è Societatis IESV Collegio. 13. Feb. Anno 1619.

Ill.tris D. V.æ

obſeruantiſſimus
Georgius Mayr.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P PROVINcialis Societatis IESV per Superiorem Germaniam.

SACRAE Cæſ. M^tis auctoritate ac priuilegio noſtræ Societati pro libris eiusdem ſtudio edendis 20. Septemb. Anno 1612. Pragæ conceſſo, ego Chriſtophorus Grenzing *Societatis* IESV *per Superiorem Germaniam, Præpoſitus Prouincialis, honeſto viro Vdalrico Remio Typographo Auguſtano, poteſtatem facio excudendi* Hiſtoriam de S. CRVCE Carauacenſi, *autore R. D. Ioanne de Robles Corualan, S. Theologiæ Licentiato, &c. à R. P. Melchiore Treuinnio Societatis noſtræ Theologo, in Latinum compendium redactam. In cuius rei fidem hoc ei teſtimonium manu mea ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare volui. Auguſtæ Vind. 14. Ianuari, Anno 1619.*

Chriſtophorus Grenzing.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Caput I. *Carauacenſis oppidi ſitus & amœnitas deſcribitur.* fol. 1.
II. *Origo & genus Zeit-Abuzeit, & quomodo Valentiæ regno & Carauaca potitus ſit.* 5.
III. *Zeit-abuzeit ex fœdere inito tributum pendit regi Caſtellæ Ferdinando Sancto, & ad conuerſionem eius paratur via.* 10.
IV. *Admiranda S.* CRVIS *Carauacenſis apparitio, cuius occaſione Zeit-Abuzeit fidem Chriſtianam amplectitur.* 12.
V. *Oſtenditur S.* CRVCEM *Carauacenſem confectam ex ipſiſſimo ligno, in quo CHRISTVS mortem ſuſtinuit.* 15.
VI. *Sententiæ quorundam recentiorum de S. CRVCIS Carauacenſis apparitione.* 17.
VII. *Teſtimonia duo ex antiquis monumentis Carauacenſium & Conchenſium de S. CRVCIS apparitione, & ſacra hoſtia miraculo.* 21.
VIII. *Interpretatio characterum Gothicorum & contractionum Arabicarum, quæ in ſacello S. CRVCIS Carauacæ inueniuntur.* 27.
IX. *Rex Zeit-Abuzeit magnas patitur perſecutiones à ſubditis, quem Chriſtianis ſacris initiatum ſuſpicantur.* 33.
X. *Locus in quo Zeit-Abuzeit ſiue Vincentius Beluiſius ſedato tumultu reliquum vitæ exegit.* 35.
XI. *Miracula quædam ex ſcriptis in archiuo S. CRVCIS aſſeruari ſolitis excerpta.* 39.
XII. *Sacerdos quidam à Toletana Eccleſia miſſus S. CRVCEM abſtulit, quæ tamen prodigioſè reſtituta eſt.* 44.
XIII. *In ciuitate Baëza per S. CRVCE M editur miraculum.* 47.
XIV. *Alia miracula S. CRVCIS Carauacenſis beneficio patrata.* 49.
XV. *S. CRVX à mortis periculo eripit Maurum, cui is ſe commendarat, ſimulq; Chriſtianum captiuum.* 51.
XVI. *Plura S. CRVCIS miracula.* 54.
XVII. *Initium & cauſſa S. Crucem quotannis mergendi in aquam.* 57.
XVIII. *In horribili & repentina tempeſtate S. CRVX abſq; opera & auxilio humano ſe conſpiciendam præbet in turris faſtigio.* 60.
XIX. *Alia quædam inſignia & inuſitata miracula veræ CRVCIS.* 61.
XX. *Miracula per Cruces veræ CRVCIS attactu ſacratas facta.* 64.
XXI. *Ciuis quidam Carauacenſis ex pio in S. CRVCEM affectu Collegium Societatis* IESV *Carauacæ erigit.* 69.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE DE S. CRVCE CARAVACENSI

CAPVT PRIMVM.

CARAVACENSIS OPPIDI SITVS, & amœnitas deſcribitur.

CARABVM, vulgo Carauaca, oppidum bis mille incolis frequentatum, in regno Murcienſi conſtitutum, in eccleſiaſtica iuriſdictione Epiſcopo Carthaginenſi, in politica ordini S. Iacobi ſubiectum & comendatũ eſt. In hoc voluit Devs collocari & conſeruari theſaurum pretioſiſſimum, S. videlicet Crvcem. Situm eſt in medio pulcherrimi campi, qui patet in latitudinem ſeſquialterum milliare, in latitudinem, dimidiatum; iuxta radices quinque collium, in quorum ei proximo ad partem orientalem arx inædificata eſt tota vrbe excelſior, naturâ magis quàm arte munita; licet nec ars & induſtria deſideretur. Nam foſſis vndique circumdata eſt, & muri in altitudinem triginta pedum aſſurgunt, in quorum ambitu turres ſeptemdecim æqualibus diſiunctæ interuallis conſpiciuntur. Arcis area tam ſpatioſa & capax eſt, vt duo millia militum armis exerceri, & arma expedire tractareque poſſint. Cenſetur propè inexpugnabilis; nullo enim ex latere tormentis quati, aut ſubrui poteſt, tuta à cuniculis & ſuffoſſione propter ſolidam petram, cuius dorſo incumbit. Nullus ad eam patet aditus, excepta vnica porta, occidentem verſus. Tribus ciſternis aqua pluuia excipitur, & ad neceſſitatem vſus quotidiani continetur. Interea arcis ſtructura ita eſt accommodata, vt mille viris pugnatoribus & præſidiarijs commodam habitationem præbeat. Viſitur in ea ſacellum,

Digitized by Google

quod S Mariæ appellatur, olimq; fuit vſurpatum loco parœciæ à ciuibus, cùm oppidum hoc Mauri ex regno Granatenſi hoſtilibus incurſionibus ob nimiam vicinitatem crebrò infeſtarent. In eadem arce aliud eſt ſacellum cuſtodiæ S. Crvcis attributum, in quo ipſo ſtupendum eius apparitionis contigit prodigium, huius hiſtoriæ & fundamentum & argumentum, in vna ſc. turrium, quæ orientem ſpectat. In dicto iam ſacello videre eſt imagines more Punico, tum, vt antiquitas facilè atteſtatur, depictas, cùm Rex ille Maurus ad Chriſtianorum cœtum aggregatus, & lauacro Baptiſmi tinctus perhibetur.

Hæc porrò prouincia Granatenſi regno contermina, gradui trigeſimò ſeptimo poli ſubiacet, cuius limites, ſi longitudo conſideretur, ab ortu in occaſum ad milliaria nouem, ſi latitudo à meridie in ſeptentrionem, ad quinque extenduntur, in quibus multi campi paſſim occurrunt, multi ſaltus, multæ ſiluæ, partim abietibus ſiue pinis & quercubus, partim myrtho, ſparto, roſmarino plenæ, in quibus magna copia ferarum tam minorum quàm maiorum oberrat. Nec deſunt interim paſcua vberrima pecoribus & armentis, nec agri qui frumenti, vini, olei, mellis, canabis & reliquorum leguminum feraciſſimi rigantur ad tria milliaria in longum, & vnum in latum, propter magnam fontium è propinquis collibus ſcaturientium abundantiam. Quid verbis opus? oppidi ſitu vix quicquam amœnius. Conſiſtit enim inter hortos lauris, cupreſſis, oleis, pomis, & arboribus cuiuscunque generis fructus proferentibus refertos; quorum aſpectus, præſertim ex eminentiore loco mirum quantum intuentium oculos oblectet, & odor è longinquo naſes afficiat. Serici quoque ingens eſt prouentus. In huius oppidi mentionem cùm incidit F. Ioannes Ægydius Sarabrinus ſiue Zamorenſis ex familia S. Franciſci, Regis Ferdinandi ſancti chronographus, hæc inter alia: Carabum ab antiquis vocatum Theodomirum, hoc eſt, fragrantia & odor diuinus. Nam in Maio præcipuè menſe terreſtris potiùs paradiſus, quàm hortus Carauacenſis videtur. Cælum eius admodum ſalubre & benignum, aër ſubtilis & gratus corporumque valetudini perquam opportunus. nam licet inter rupes & montes locus ſit arctatus, nec frigore tamen vehementiore, nec æſtu grauiore laborat. Ex qua cæli clemen-

Digitized by Google

clementia & aëris temperie fit, vt multi ad ſenectutem decrepitam perueniant, & attingant, imò excedant annum ætatis centeſimum. Nullæ hîc paludes, nulla ſtagna, vnde vel nebulæ exhalent, vel aëris puritas obturbetur, ſed aquæ leniter fluentes vbique ſuppetunt, quarum multæ in vrbem ipſam aut natura ſua, aut modica hominum induſtria deriuantur.

Hoc igitur oppidum tanta ſitus amœnitate & commoditate nobilitatum placuit DEO magis nobilitare nobiliſſimo pignore S. CRVCIS, quæ Angelorum manibus huc delata dedit anſam conuerſioni regis Mauri potentiſſimi ad fidem Chriſtianam, qui prius Mahometanam ſectam mordicus tuebatur. Quamuis autem liceret iure ſubiraſci, & ſuccenſere quodammodo maioribus noſtris, quòd hiſtoriam tanti momenti litteris non mandarint, neque ad poſteros tranſmiſerint ſeriem rerum per occaſionem S. CRVCIS geſtarum, excuſandos tamen hac de cauſa exiſtimârim, quòd tractandis armis ob defenſionem fidei aduerſus Mauros vicinos, à quibus aſſiduè impetebantur, toti eſſent dediti, & hiſtoriæ condendæ curam otioſis relinquerent, contenti victorijs ſæpius ab hoſte reportatis. Quamobrem, vt ego, qui ad vitæ metam propero, animum gratum pro tot beneficijs à DEO mihi præſtitis ob pium in S. CRVCEM affectum, demonſtrare conarer, opuſculo huic conſcribendo calamum admoui, & in vnum quaſi corpus compegi, quæ ſparſim in ſchedis, inſcriptionibus, picturis, lapidibus, teſtimonijs, libris editis, ineditis, vetuſtiſque monumentis inuenire adhibito ſtudio potui. Inter cæteros autem, qui hanc CRVCIS apparitionem ſibi ab obliuione vindicandam putarunt, antiquiſſimus eſt F. Ioannes Ægydius Zamorenſis, cuius antè facta mentio, auctor grauis, & fidem hoc ipſo nomine maiorem meritus, quòd ſub id tempus vixerit, quo res ipſa contigit. Huius ſcripta in Monaſterio S. Franciſci Zamorenſi hactenus cuſtodita, cùm diligentiùs excuteret, & ſcrutaretur P. Hieronymus Roman de Higuera ex Soc. IESV, reperit aliquot pagellas in hoc vnum argumentum manu exaratas. Et profectò dolendum plurimas lucubrationes huius venerandi auctoris pro communi vtilitate nondū aſpexiſſe lucem, ſed vetuſtate conſumptas, & ferè à tineis correſas manſiſſe in tenebris, vel quòd ars typographica tum non fue-

rit exercita, vel quòd nemo laborem ſumere voluerit eas in ordinem redigendi, aut de integro deſcribendi. Fateor itaque ingenuè plurimum me adiutum à magiſtro meo P. Hieronymo de Higuera, cui liber hic merito ſuo debet, quicquid boni in eo continetur. Eius enim auxilio fretus nullas timeo difficultates, & conatus meos fructu ſperato nequaquam carituros mihi polliceor. Idem ipſe magiſter meus in familiari congreſſu ſæpè mecum ita loqui ſolitus eſt: Ego ſanè vitam, qua fruor, ſanctæ huic Crvci acceptam refero. Cum enim adoleſcens annum XVII. necdum expleuiſſem, in periculoſam incidi ægritudinem, quam immoderata eius ætatis ſtudia & exercitationes mihi pepererunt; adeo vt 40. dies febri continenter iactatus viribus deficerem, & grauiora in poſterum ab hectico ardore etiam formidarem. Ecce autem neſcio quo die lectulo propter debilitatem affixus, defixi oculos in tapetem parietibus in conclaui appenſum, vidique intextam ei quandam Crvcis Carauacenſis figuram, quam obnixè petij à matre tum aſtante, capiti & pectori meo applicari, certam ſpem ingreſſus fore vt contactus ille mihi eſſet ſalutaris. Nec ſpes fefellit. nam ſtatim atq; mater ex tenera pietate collachrimans Crvcem partibus, quas expreſſi, appreſſit, vis morbi adeò remiſit, vt intra quatuor aut quinque dies penitus me ſenſerim conualuiſſe. Quare tam eximij beneficij memor nunquam neglexi occaſionem grati animi ſigna pro mea virili expromere, & Devm pro tam inſigni munere ſupplex venerari. Hic ipſe optimus & religioſiſſimus vir, paulo antequam deſijt viuere, (vixit autem annos LXXIII.) tradidit in ſcripto mihi quaſdam notationes, & obſeruationes, quæ inſtitutæ tractationi meæ mirificè inſeruiunt. Quod ſi tamen in hac rite abſoluenda votis non reſponderit euentus, labor ſaltem meus & conamen viam aperiet alijs ingenio & eloquentia felicioribus feliciùs hanc hiſtoriam auſpicandi, & ad finem feliciſſimè perducendi.

CAPVT II.

ORIGO ET GENVS ZEIT-ABVZEIT, & quomodo Valentia & Carauaca regnis potitus ſit.

Rodeſi.

Digitized by Google

RODERICVS Archiepiſcopus Toletanus in ſua hiſtoria lib. 7. c. 10. teſtatum reliquit tempore Alphonſi regis Caſtellæ in Africa inter Arabes floruiſſe Maurum quendam Abuntemertum Aſtrologiæ iuxtà ac Philoſophiæ peritiſſimum, qui artis ſuæ fiducia nixus de adoleſcente, cui nomen Abdelmon, vaticinando prædixerit illum ad regiam dignitatem peruenturum felici rerum ſucceſſu. Hic igitur Abdelmon tam inſignis Aſtrologi auctoritate impulſus, & ſuopte ingenio ad magna propenſus cœpit animum ad maiora audenda erigere, & ad promiſſum ſibi culmen honoris aſpirare, hac potiſſimum occaſione. Abuntemertus odio proſequebatur Alboaly regem Almorabidum in monarchia Marrocenſium poſtremum, & cupiebat eum de regni ſolio deturbare. Egit itaque cum Morabite quodam dogmatis Mahometani apprimè gnaro, & ob conceptam ſanctitatis opinionem ad ſacerdotium euecto, qui venerationis cauſa Almohadi appellabatur, eique dextrè ſuggeſſit multos errores contineri in lege quam profitebantur. Quare paulatim eò hominem induxit, vt ad Alcorani explicationem non inuitus aggrederetur, & alteram ſectam impugnaret, cuius propugnator acerrimus erat Aliſa Baldacenſis, inter ſuos quaſi ſummus pontifex, quòd à Mahometi familia & ſanguine rectà deſcenderet. Sic ergò perſuaſus Almohadi non tam ſermonibus Abuntemerti, quàm ſuæ ſuperſtitionis amore incitatus multa grauiaque ſcelera Almorabidum alteri ſectæ ad inſaniam deditorum propalauit, varijsque argumentis comprobauit regem ipſum Alboaly eiusque maiores in tyrannis numerandos, qui regnum contra ius & fas omne Idris, legitimis hæredibus, & ex Mahometi ſtirpe oriundis vi ademerint. Hæc Almohadi Morabitis oratio tantum valuit, adeoque populares exacerbauit, vt multi ab Alboaly rege, & Almorabidibus defecerint, aperteque rebellârint. Et ne temerè quid molirentur, in caput & ducem ſuum legerunt iuuenem illum Abdelmonem, qui prælia ſæpè cum aduerſa parte commiſit, in quibus ferme ſemper Alboaly poſteriores tulit, fugaq; turpi ſalutem quæſiuit; donec nimia tandem populi multitudine ad Abdelmonem confluente, omnino caſtris exutus & occiſus eſt: cuius regnum ſtatim inuaſit Abdelmon, & nullo reſiſtente ſedem fixit Marroci. Inde

Digitized by Google

traiecit in Hiſpaniam, & felici Marte ſubegit omnes reges Mauros ibi tum imperitantes, quos ſibi eum in modum parere coegit, quo paruerunt olim regibus Almorabidum prædeceſſoribus ſuis. Inſignibus itaque victorijs & diuitijs auctus redijt Marrocum vnà cum Almohadi, qui protinus vt illuc appulit fatis, conceſſit elatus funere regio, ad cuius honorem perpetuandum inſtituit Abdelmon, vt omnes eius opinionis ſectatores cognominarentur Almohades, quæ vox lingua Arabica ſignificat populum inter ſe vnitum aduerſus Alifæ Baldacenſis videlicet ſectam. Abdelmone quoque ſublato regnum Marrocenſe oblatum eſt filio eius natu maximo Aben-Iacob, qui & ipſe in Hiſpaniam patris exemplo contendit, vbi memorabili apud Alarcos victoria obtenta, paulo poſt ab homine quodam Chriſtiano interfectus occubuit. Duos reliquit filios ſuperſtites, Aben-Mahomat, & Zeit Mahomat; quorum poſterior ætatis prærogatiuâ parenti ſuffectus regium diadema accepit. Qui cùm videret ſe, præ reliquis potentem, nec vllum contra ſe quicquam mouere, decreuit in Hiſpaniam exercitum ducere, Chriſtianisq; bellum inferre circa annum Domini M c c x. Sub ſignis recenſuit peditum trecenta, equitum ſeptuaginta & centum millia, rem incredibilem & portento ſimilem.

Eadem tempeſtate regnum Caſtellæ gubernabat Alphonſus I X. Cognomento Bonus, qui ex tanta hoſtium multitudine ſibi non immeritò periculum imminere præſagiens, recurrit in primis ad præſidium & remedium armorum ſpiritualium. Quo nomine ablegauit Romam Archiepiſcopum Toletanum ad Innocentium I I I. Pont. Max. petitum Iubilæum ampliſſimum pro omnibus ijs, qui in hoc ſacro bello militarent. Annuit ſanctus Pontifex tanquam pius pater precibus Alphonſi; & quia intelligebat non ſolùm agi de Hiſpaniæ, ſed totius reip. Chriſtianæ exitio, inſtituit, præmiſſo ieiunio, Romæ ſupplicationes ad Diuorum templa per triduum, in quibus ipſemet nudis pedibus inceſſit, vt diuina maieſtas placata barbarorum furorem retunderet, præſentiſſimisque Eccleſiæ neceſſitatibus ſuccurrere dignaretur. Præſul Toletanus ex Vrbe per Italiam, Germaniam, Galliam & Angliam, rediens tanto ardore Crvcis militiam diplomate pontificio munitus prædicauit, vt flagitium pleriq; exiſtimarent à tam iuſti belli ſocietate abeſſe.

Interim

Interim Rex Toleti comitia indixit, vbi ad reformandos mores multa ſalubriter ſancita, & omnes ſeriò moniti vt arma capeſſerent; ad reges inſuper vicinos nuntij expediti qui diſcrimen edocerent, cui eorum ditiones forent obnoxiæ, ſi barbaro à tantis copijs inſtructo non iretur tempeſtiuè & communibus viribus obuiam.

Reuerſo itaque Toletum Archiepiſcopo ſub initium Anni MCCXII. ingentes eò copiæ varijs ex nationibus confluere cœperunt, quæ omnes inſigni Crucis veſtibus aſſuto conſpicuæ. Et quia tantam multitudinem non capiebat ciuitas, neceſſe erat in hortis regijs tentoria figere ad excipiendos hoſpites auxiliares, quibus annona affatim præbebatur. Rex igitur Alphonſus, 20. die Iunij Anni MCCXII. Toleto digreſſus in itinere expugnauit arcem Malacon, captamque reſtituit Templarijs, in quorum antea poteſtate fuerat. Hoc loco externi milites, qui Alphonſo ſuppetiatum venerunt, tumultuari & manifeſta ſigna pœnitudinis oſtendere cœperunt, quòd tam longinquam viam ſuſcepiſſent. qua de causâ multi redierunt ad propria. Regem autem Mahomat præter innumeram gregariorum militum ducumque turbam triginta regibus barbaris comitatum veniſſe aiunt Rodericus, & auctor libri de tribus ordinibus militaribus, Wilhelmus item Tyrius ad finem hiſtoriæ belli ſacri in epiſtola, quam teſtatur ipſummet Alphonſum dediſſe ad Innocentium III. & inuſitatæ victoriæ modum ac ſeriem explicaſſe. Mahomat, vt propinquauit Baëzæ, ab exploratoribus certior factus eſt Alphonſi copias imminutas & milites aduenas deſertis caſtris in patriam remeâſſe. Lætus hac denuntiatione nihil dubitauit de victoria, & animosè quod itineris reliquum, perfecit. Iam tamen ſe coniunxerant Alphonſo reges Aragoniæ, Nauarræ ac Luſitaniæ cum ſua quiſque manu non contemnenda. Qui ſimul vt prætergreſſi ſunt montis planitiem (Nauas Toloſæ vocant) inciderunt in fauces adeò anguſtas, vt neque regredi; neque progredi vlla ratione poſſent. Verùm ſolemne eſt diuinæ bonitati, tum maxime opitulari, cùm maior vrget neceſſitas. Occurrit itaque hæſitantibus paſtor, quem ſcriptores quidam autumant S. Iſidorum Madritienſem agricolam, qui eos turmatim facili tramite deduxit ad

Digitized by Google

ad loca tuta & expedita. Conſederat tum Mahomat cum ſuo exercitu in colle quodam eminentiore, indutus pallio tanquam ſummæ religionis & ſanctitatis ornamento, quod illud geſtârit olim quidam Mahometi gener. E cingulo ſuſpendebat acinacem, manu prætendebat librum Alcorani, latus ſtipabat Abuzeit frater germanus, vir ſummæ fortitudinis & auctoritatis, qui occultè fauebat Chriſtianis, vtpote quos intimè noſſet, & in eorum familiaritatem Marroci ſe vltrò inſinuaſſet, longoque vſu obſeruâſſet eos non ſolum fidos, ſed etiam commodos dominis ſuis. Cæterùm Mahomat cum animo reputaret quot partibus ipſius exercitus exercitum Chriſtianorum ſuperaret, nihil cunctandum ratus, conſtituit ipſa die prælio decernere. Quamobrem ſignis vtrinque editis acriter pugnari cœptum, ita tamen vt Mauri viderentur ob multitudinem pugnatorum longè ſuperiores. Vbi verò regis Caſtellæ vexillum inſignibus Christi, eiusque ſanctiſſimæ Matris inſignitum in medium exercitum incolumi ſignifero penetrauit, præterea crux, quam ante præſulem Toletanum eiusdem Eccleſiæ Canonicus Dominicus Paſchalis in Archiepiſcopum poſtea cooptatus, de more geſtabat, intrepidè per acies armatas illata eſt, circumuolantibus licet vndique telis, & in ipſos ſagittarios prodigioſè retortis, Mauri timore repentino perculſi terga verterunt, & fugam certatim arripuêre. Sed neque in fuga ſolatium: noſtri enim palabundos adorti, & fortiter inſecuti tantam ſtragem ediderunt, vt terra deeſſet moribundis, in quam caderent, ſed alij ſuper alios aceruatim ruerent. Hoc inexpectato euentu tantopere conſternatus eſt Mahomat, Deo ſuperbiam vindicante, vt ignoraret quid conſilij capiendum; cui attonito ſimili ſuaſit frater Abuzeit equum feſtinanter conſcendere, & vitæ amittendæ periculo confeſtim ſe ſubducere. id quod & fecit. Parta eſt illuſtris hæc victoria feria ſecunda quæ fuit xvi. Iulij anno ſuperiùs memorato M C C X I I. qua liberata tandem eſt Hiſpania à diuturnâ Maurorum vexatione ac metu, cœpitque reſpirare & pacis tranquillitate frui. Refert Rodericus & conſentit Mariana è cruce ſignatis non plures viginti quinque occubuiſſe; ex aduerſarijs autem tantam multitudinem pecorum inſtar mactatam, vt toto triduo, quo Chriſtianus exercitus ibi ſubſtitit haſtæ

& ſa-

Digitized by Google

& ſagittæ hoſtium exhibuerint lignorũ vſum excitandis ignibus, ac ne comburi quidem omnes potuiſſe, etſi ſtudium adhibebatur.

Rex Alphonſus cum victore exercitu rediјt Toletum ingenti lætitia & pompa exceptus. Quoniam vero Chriſtianis ſymbolum inſigne, ac præſidium adiutoriumque belli Crvx fuerat, breui pòſt in Concilio ſtatutum eſt, vt per totam Hiſpaniam memoria præclaræ victoriæ quotannis celebraretur ſub appellatione Trivmphi S. Crvcis: quam feſtiuitatem, dato diplomate, approbauit Gregorius XIII. Pont. Max. anno MDLXXIII. Rex contrà Mahomat turpi fuga elapſus ſumma cum ignominia reuertit Marrocum, omnibus viribus diſſipatis, fratrique ſuo Abuzeit commiſit omnia, quæ in Hiſpania poſſedit. Nec longo poſt reditum tempore inglorius diem clauſit extremum, hærede regnorum deſignato quodam ex nepotibus ſuis paruulo, qui & ipſum breui ſecutus eſt. Zeit igitur Abuzeit fratre vita functo, & ſucceſſore ætatis tam teneræ relicto, mactus eſt occaſionem omnia ſibi tanquam propria uſurpandi, quæ ſuæ fidei & tutelæ Mahomat in Hiſpania commendârat; atque ita in ſuam poteſtatem redegit Murtiam, Carauacam, & Bæticam, prætextu eas prouincias gubernandi. Obtinuit quoque ab Almorabidibus Valentiam ac Deniam, Tortoſam vsque: Quamobrem regium aſſumpſit titulum, vt ex Marmol Hiſtorico colligitur, & Ioannes Marieta ſcriptis prodit. Quidam etiam Aben-Mahomat conſanguinitate ipſi propinquus occupauit Vbedam, Baëzam & Cordubam: alij Mauri, quæſito iuris qualiscunque colore & fuco, alias Hiſpaniæ oras; ex quo Maurorum vires, vt quæ eſſent in varios diſperſæ, debilitari cœperunt.

Cùm Rex Abuzeit Valentiæ reſideret anno MCCXIX. eò aduenerunt ex Italia duo de Familia S. Franciſci, F. Ioannes ſacerdotio inauguratus, & F. Petrus, qui magno pietatis amore incenſi Euangelium promulgarunt, ad veramque religionem Mauros inuitarunt. Quod vbi cognouit Abuzeit, œſtro percitus eos in carcerem compingi, & in conſpectum ſuum adduci iuſſos grauiter increpuit, quod in ſuum regnum pedem inferre, & nulla poteſtate facta, legem aliam auderent euulgare. Quocirca ſi ſaperent, Chriſto eiurato ad Mahometi caſtra tranſirent, & ſe iratum

ne vellent experiri. Religioſi autem vultu modeſto & pectore imperterrito, Abſit,inquiunt,talis à nobis inſania: etiamſi morti occumbere millies ſit neceſſe,nunquam tamen à veritatis via deflectemus. Quin tu potius, ô Rex,Chriſto das nomen,cui paucos intra annos es daturus, & in eadem profeſſione vitam poſiturus. Magis ille excanduit,& vtrumque capite plecti extemplò præcepit; quorum animæ gloria Martyrij auctæ in cæleſtem patriam, non dubium,abierunt:corpora autem obtruncatorum à Chriſtianis quibusdam eò loci humata ſunt,vbi nunc eſt cænobium patrum Franciſcanorum Valentiæ; de quibus F. Ioannes Ægidius Zamorenſis hæc tantùm: Anno M c c x x i. paſſi ſunt prima die Nouembris Ioannes & Petrus Franciſcani. Vaticinium autem ſanctorum virorum de rege Zeit-Abuzeit ſenſim res ipſa comprobauit, & credibile eſt ipſos in cælum receptos eius conuerſionem precibus ad Devm fuſis promouiſſe.

CAPVT III.

ZEIT-ABVZEIT EX FOEDERE INITO pendit regi Caſtellæ Ferdinando Sancto tributum, & ad eius conuerſionem paratur via.

IAcobus Rex Aragoniæ, Bellator cognominatus, iuuenis audax animique excelſi,deliberatnm habuit bello perſequi regem Valentiæ,eoque fine imperauit ſibi præſto eſſe omnes regni proceres ad condictam diem in ciuitate Teruel. Vbi dicto audientes comparuerunt, infirmiora regni Valentiæ intrauit; in ijs tamen reperit arcem firmiſſimam Peniſcolam ſupra ſolidam rupem extructam, quam obſidione cinxit. Zeit-Abuzeit ad defenſionem minimè comparatus,& nihil minùs quàm talem Regis Iacobi aduentum ſuſpicatus legatos ad pacem petendam miſit. Conuênit inter eos hac lege,vt regi Iacobo tribueretur quarta pars vectigalium,quæ ex regnis Valentiæ, Murciæ & Carauacæ Zeit-Abuzeit perciperet. Conditionibus iſtis vtrinque firmatis,Aragones in ſuam prouinciam receſſerunt. Quamuis igitur Zeit-abuzeit iam nihil ſibi timendum arbitraretur à Rege Iacobo, ſollicitus tamen erat de rege Caſtellæ Ferdinando,qui modò bis tentaſſet regnum

Valen-

Digitized by Google

Valentiæ aggredi ex parte Conchenſi, & damna non modica intuliſſet. Itaque cogitauit etiam cum ipſo in fœdus & amicitiam coire. Quod dum agitat ſecum, Ferdinandus rex, fretus ſubditorũ erga ſe egregia voluntate, & beneuolentia conflauit ex ijs numeroſum exercitum, iuſſitque ad initium veris in ciuitatem Conchenſem conuenire, quò cum vxore ipſemet acceſſit, habuitque delectum militarem, vt tertiò in regnum Valentiæ impetum faceret. Huc etiam ſe contulit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, vir prudentiæ ſingularis, & officio, quo fungebatur, digniſſimus. Videns igitur Abuzeit tantos belli apparatus & molitiones in ſui capitis & regni perniciem tendere, maturauit cogitata exequi, certoſque homines ad Ferdinandum præmiſit, qui ſignificarent velle ſe cum eo Conchæ, publica fide interpoſita, colloqui. Haud difficilem ſe præbuit Ferdinandus, nec obſcura propenſi animi in regem ſigna dedit, quibus eius congreſſum ſibi admodùm placere teſtatus eſt. Quamobrem aduentanti ad vrbem Concham cum tota aula & regni primoribus obuiam proceſſit, quem amanter complexus ſub vmbellam ſuam recepit, & hoſpitium ei curauit attribui in ædibus vrbis præcipuis, quas habitauit quidam Eccleſiæ illius antiſtes M. Gineſius Perez Chirinus, è cuius familia multi prodierunt martyrij laurea decorati. Hæc hoſpitalitas perquam fuit vtilis: ſic enim occaſionẽ quæſiuit Gineſius agendi cum rege ſeorſim de myſterijs Chriſtianæ religionis, & miſcendi ſermones de rebus ad ſalutem pertinentibus. Et hoc videtur quaſi præludium ad conuerſionem regis poſtea ſecutam; ex quo didicit Gineſius multos ex Chriſtianis Carauacæ in arce omnium, quas habebat, munitiſſima captiuos detineri, quos redimere, ſi poſſet vllo modo, ſatagebat. Rex interim Ferdinandus nihil omiſit humanitatis & beneficentiæ in ſuum hoſpitem, quem frequenter aulicorum præcipui, iuſſu ipſius, interuiſerunt; maximè verò eluxit ſtudium Roderici Toletani Præſulis, vt eum arctiſſimè ſibi & regi ſuo, imò Chriſto deuinciret. Nec fruſtrà laboratum. Zeit enim Abuzeit tantum regis Caſtellæ fauorem ac liberalitatem animo expendens, ſe totum eius poteſtati permiſit, promiſitque ſe fore in poſterum ei vectigalem; quem Ferdinandus lætus in ſuam tutelam recepit. Hæc acta ſunt anno M C C X X I I I. vt refert generalis hi-

Digitized by Google

ſtoria regis Alphonſi Sapientis, & Marmol in ſua Hiſtoria Africana, vel ſecundum Marianam, Anno MCCXXIV.

Gineſius ne elaberetur opportunitas bene merendi de captivis Chriſtianis, adiuit ad regem Ferdinandum, ſupplexque obſecrauit, vt ante diſceſſum impetraret à rege Abuzeit litteras publicæ fidei, quibus fieret ſibi poteſtas in illius regna penetrandi, Christiq; verbum diſſeminandi, & conſolandi captiuos, maximè qui Carauacæ in arcta cuſtodia ſeruabantur. Quod cùm Ferdinandi nomine à rege Abuzeit peteretur, ille quàm humaniſſimè deſiderio ſatisfecit; Gineſius tamen profectionem diſtulit in aliud tempus, vt priùs corrogaret ſubſidia pecuniaria pro redemptione captiuorum, quæ cùm ex piorum hominum munificentia collegiſſet, in viam ſe dedit, vt conſtat ex ſcriptis peruetuſtis quæ in Eccleſiâ Conchenſi aſſeruantur, & commemorat F. Ioan. Ægydius Zamorenſis.

CAPVT IV.

ADMIRANDA S. CRVCIS CARAVACENSIS apparitio, cuius occaſione Rex Zeit-Abuzeit fidem Chriſtianam amplectitur.

REX Zeit-Abuzeit ſecurus rerum ſuarum propter amicitiam, & fœdus cum regibus Aragoniæ & Caſtellæ initum, ſedem & familiam ſuam tranſtulit Carauacam, in locum videlicet amœniorem & ſalubriorem Anno MCCXXXI. vbi cùm cognouiſſet ex ſuis Gineſium liberè per regnum diſcurrere, & Euangelij prædicatione Mahometi dogmata euertere, absque mora iuſſit eum in vincula conijci, & reliquis Chriſtianis captiuis accenſeri. qui, cùm quereretur iniuriam ſibi inferri, & publicam fidem contra ius gentium violari, rex affirmauit, quod niſi eius rationem habuiſſet, iam pridem morti adiudicaturum fuiſſe: ad captiuos enim iuuandos eum admiſſum precariò, non ad Mahometi doctrinam refellendam. Itaque ad finem vſque Ianuarij inſequentis anni ſqualorem carceris tolerare coactus eſt. Deinde ſub finem Martij inceſſit regem pietate quadam comotum videndi & cognoſcendi cupido, quod quisque captiuorum officium geſſiſſet, quamúe

artem

artem factitâſſet, vt hac ratione pœna, quam in ergaſtulis & antris ſuſtinerent, aliquantulum mitigaretur. Cùm inter alios adduceretur quoque, & ſiſteretur Gineſius, de ſua functione rogatus reſpondit ſe eſſe ſacerdotem CHRISTI Domini, ſacerdotis autem munus omnes dignitates hominum terreſtrium, etiam regum ipſorum, excedere. nam qui ad ſacerdotij honorem euehuntur, tanta poteſtate donari, vt verbis pauciſſimis, quæ CHRISTVS proferenda expreſſit, ſtatim idem IESVS CHRISTVS verus DEVS deſcendat, & ex pane, quem ſacerdos manu tractat, per ſtupendam, & admirandam mutationem, fiat eius caro viua. Dicta Gineſij riſa quidem excepit Abuzeit, ſe tamen ait velle experiri, quomodo hæc probarentur veritati conſentanea. Et hoc fortè deſiderium iniecit regi DEVS, vt ad Chriſtianam religionem cor eius citiùs inclinaret, vel quòd ipſe cogitauit Gineſium libertati aſſerere in gratiam regis Ferdinandi, quo interpellante, in regnum veniendi copiam fecit Gineſio. Iuſſit ergo eum operi ſe protinus accingere, & artis tam inauditæ ſpecimen dare. Excuſauit Gineſius, quòd ſacræ veſtes, aliæque res neceſſariæ non eſſent in promptu, nec inuenirentur niſi in loco Chriſtianis habitato. Rex omnis moræ impatiens, & curioſitate tractus miſit Concham, quæ ciuitas Chriſtianorum erat proxima, vt quæcunque Gineſius enotârat, inde adferrentur. His ad III. nonas Maias anni MCCXXXII. quo die Romana Eccleſia ſolenni cerimonia Inuentionem S. CRVCIS recolit, properè allatis, rex voluit ſanctum virum munus ſuum exercere. Paruit ille; & iam ſacris veſtibus amictus, à neceſſarijsque ornamentis inſtructus proceſſit ad altare, quod hoc fine erectum in eadem turri, in qua hodie ſacellum S. CRVCIS cernitur, vt officium Miſſæ de more auſpicaretur. Ecce autē dum ordiri parat, animaduertit CRVCEM deeſſe, cuius neq; ipſe meminerat in indiculo rerum Conchâ adferendarū, neq; mittere Conchenſibus in mentem venerat. Quo caſu valde perculſus Gineſius æſtuauit, cauſamque perturbationis anxiè regi quærenti reſpondit deeſſe ſibi CRVCEM, rem ad peragendum ſacrificium hoc maximè die neceſſariam, quo S. CRVCIS inuentæ annua memoria repetitur. Verùm DEVS perfectionis auctor, ne quicquam imperfectum relinqueret, & ne fidelem miniſtrum diutiùs deſtitutum ſolatio pa-

 teretur,

teretur, ſuppleuit illud abunde quod defuit. Iuſſit enim duos Angelos, quorum alter oppidi Carauacæ, alter regis tutelaris fuiſſe ab antiquis traditur, pergere Hieroſolymam, & ad aram momento Crvcem deferre, quam Robertus illius ciuitatis patriarcha è collo pendentem geſtare conſueuerat. Dictum, factum. Rex intentis ad ipſam ſacelli teſtudinem oculis, vidit duos Angelos aſpectabili forma ligneam Crvcem, & per feneſtram tecto proximam multis comitantibus illabi, ſanctumque pignus ſollicito ſacerdoti in manus tradi, gaudio collachrimantibus, & grates immenſas Christo ſeruatori agentibus captiuis pro tam inſigni miraculo, quo fidem noſtram corroborare, & latiùs propagare conſtituit. His ex Ciacone ſumptis lib. de ſignis S. Crucis, c. 35. addit F. Io. Ægydius, Angelos tanti muneris baiulos affirmâſſe, quòd S. Crvcem ex Patriarchæ Hieroſolymitani Roberti collo abſtulerint, eamque fabricatam ex vero ligno Crvcis, & id quidem compertum poſtea fuiſſe ex nuncio à Carauacenſibus Hieroſolymam miſſo.

Lætus itaque tam ſingulari Cœlitum pignore ſacerdos, diuinum officium inchoauit; & cùm hoſtiam rite conſecratam in altum ſuſtolleret, vidit Rex in ipſius manibus pulcherrimum, & nimio fulgore coruſcantem infantulum. Re demum ſacra ad finem perducta, ipſe cum multis ex nobilitate priuatim non obſcura dedit indicia ſe ad fidei veritatem agnoſcendam propendere, publicè tamen diſſimulandum ratus eſt, ne ſubditi propter nouitatem repentinam in rebellionem conſpirarent, in quam nihilominus poſt paulum conſpirârunt. Sed interim ad declarandum quoquo modo gaudium, quo animus ex ſalutari commutatione perfundebatur, iuſſit populum præconis voce aduocari, &, more gentis, in ipſo arcis atrio taurum indomitum agitari. Ad quod ſpectaculum Haylam reginam vxorem ſuam, in nemore quodam vnà cum liberis animi relaxandi cauſa commorantem inuitari curauit; quæ tamen de propenſione mariti in Chriſtianam religionem, & ſignis quibuſdam ab eo proditis clanculum admonita venire hiſce verbis recuſauit: Iſta mihi Cara vacca eſt. Ex quo tempore nomen huic oppido inditum, vel potiùs reſtitutum permanſit, quod ob crebras barbarorum incurſiones pœne in obli-

uionem

Digitized by Google

gionem abijſſe creditur, quia Dextrus ſcriptor ante annos M c c. & Iulianus Toletanus appellant Carauacam.

De ſtupenda hac & famâ iam notiſſima huius S. CRVCIS apparitione tanquam de re ſuo tempore geſta, fecit honorificam mentionem F. Ioan. Ægydius Zamorenſis in additionibus, ſiue aduerſarijs, iuſſu regis Ferdinandi Sancti, contra quædam Iuliani in æde S. Iuſtæ Toleti Archipresbyteri ſcripta vulgatis, vt teſtificatur charta P. Hieronymi Romani de Higuera Soc. IESV, ex qua omnia fere hactenus recenſita mutuati ſumus. Licet verò ex antiquis picturis, quæ in ſacello S. CRVCIS adhuc ſuperſunt, videre ſit regem in eo baptizatum, prædictus tamen auctor non explicat diſertè, quando, & vbi factum. Neceſſe ſiquidem fuit eum priùs fidei myſterijs imbuere, ac proinde non ſtatim Baptiſmi ſacramentum rudi & ignaro impertiri, maximè cùm circa idem tempus Zachen, Deniæ dominus, ipſi ſe opponeret, & bellum meditaretur; ideoque rex occupatus tutò non poſſet exequi propoſitum. Ex chronicis quidem Aragonum colligitur eum ſacro fonte luſtratum ab Epiſcopo Cæſarauguſtano, cui ſententiæ ſuffragantur Beuter & Mariana recentiores: in ipſis tamen ſacelli picturis exprimitur ſacerdos eum ſacris vndis perluens, vt ſuo loco fuſiùs docebitur, & idem omnino confirmat relatio Conchenſis, quæ addit duos ei fuiſſe patrinos equeſtris dignitatis viros ex captiuorum numero delectos. Sed ſiue ſacerdos ille, ſiue Epiſcopus regi Baptiſmum adminiſtrârit, hiſtoricæ veritati nihil decedit, neque accedit.

CAPVT V.

OSTENDITVR S. CRVCEM CARAVAcenſem ex ipſiſſimo ligno confectam, in quo mortem ſuſtinuit.

AD indagandam & exactiùs cognoſcendam huius S. CRVCIS originem, meritò ſunt præmittenda, quæ F. Franciſcus de Aranda Prouincialis ordinis S. Franciſci libro ſuo inſeruit, quem verè accurateque conſcripſit de Terra ſancta. Sic enim ait: In ſacello paſſionis tres ardent Græcorum lampades; in cuius ſeptentrionalis parietis medio, prope rotam, quæ dicitur, Noli me tangere, eſt porta, ad quam quatuor gradibus aſcenditur. Per hanc portam

Digitized by Google

portam ingreſſus patet ad Eccleſiam, quæ quadraginta pedes in longitudine, & viginti octo in latitudine continet. In ea viſitur ſacellum cum ſuo altari & picta tabula in honorem ſanctiſſimæ Virginis matris dedicatum: extra ſacellum verò ad partem ſiniſtram altare poſitum conſpicitur ſine imagine, cuius tamen locum feneſtra quædam ſiue foramen in muro exciſum ſupplet, vbi temporibus Chriſtianorum Crvx quædam parua recondebatur ex ipſamet Crvce Domini fabrefacta. Hæc Crvx, quemadmodum ex antiquo codice in Sion reperto legi, inuenta & hominibus rurſum manifeſtata eſt anno M I C. ſub finem Pontificatus Vrbani II. imperante Henrico III. quando ſcilicet Catholicus & inuictus heros Godefridus Bullionius regis Hieroſolymitani nomen aſſumpſit, & coronæ aureæ ſpineam præoptauit, è ſancta Vrbe fugatis eiectiſque Saracenis. Sed anno poſtea MCLXXXIX. iuxtà Onophrium MCLXXVII. Guidone rege capto cum Hieroſolyma in poteſtatem Saladini regis Babyloniæ fuiſſet denuò redacta, ita eadem Crvx, quam Chriſtiani in prælijs & pugnis præferre ſolebant, diſparuit, vt nunquam ampliùs comparuerit. Huc vſque auctor ex citato codice. Ex verbis tamen F. Io. Ægydij Zamorenſis eliciturhanc ipſiſſimam Crvcem iterum in apertum productam, & hominum conſpectui redditam quando Hieroſolyma fuit recuperata; quam rem Genebrardus in ſua Chronologia his paucis enumerat: Fridericus Imperator ſublatis æmulis poſt vexatam Italiam vix adactus à Gregorio IX. anno MCCXXVIII. expeditionem in Syriam ſuſcepit, vbi id tantùm geſſit memorabile, quòd Hieroſolymam à Sultano ex pacto recepit, factis in decennium inducijs, regemque eius ritu ſolemni ſe coronari curauit, à Roberto Hieroſolymitano Patriarcha. Idem referunt Cromerus de rebus Polon. Polydorus & chronicon Hirſaugienſe, quibus annectit Genebrardus Hieroſolymam per Fridericum ſine ſanguinis effuſione certis conditionibus à Sultano Ægyptiorum recuperatam eſſe cum quibusdam caſtellis Anno MCCXXIX. Hoc ipſo igitur tempore Crvx in priore ſuo loco comparuit, inuenta, vt dicitur, à Patriarcha; qui veritus ne iterum ſubduceretur, è ſuo collo pendulam ſemper geſtauit, quaſi pignus cæleſte, & pretij inæſtimabilis theſaurum. Hinc meo iudicio du-

Digitized by Google

cio duxit originem Ordo Crucigerorum, cuius inſtitutor fuit Robertus Abbas vir à ſanctitate & prudentia laudatus, forte poſtea Patriarchæ demortuo ſuffectus. Cæterùm Crucigeros ideò appellatos crediderim, quòd inſignia eiusdem formæ, cuius eſt hæc S. CRVX, ad pectus palam præſeferant, ſicut Ioannes Lucidus in Tractatu de Religionib. & Onophrius Panuinus in Chronic. eccleſiaſt. atteſtantur. Hunc ordinem confirmauit deinceps Innocentius IV. Pont. Max. anno MCCXLII. qui perdurat in hodiernum diem Romæ, cum eisdem inſignibus ad pectus in Hoſpitali S. Spiritus in Saxia. Ab hac tamen mea opinione diſſentit idem ipſe Lucidus, quòd putet hunc Ordinem cœpiſſe multò antè, tempore nimirum Macarij Epiſcopi Hieroſolymitani, qui præſente Helena, inuentioni S. CRVCIS interfuit anno CCCXXVI. cùm obruta humo & occultata CCXCVI. annis delituiſſet ob Iudæorum inuidiam & improbitatem, vt latiùs explicat Nicephorus lib. 8. c. 26. hiſt. eccleſ. Nec eſt omnino improbabile tum Ordini datum initium, Helena enim reliquit Hieroſolymis CRVCEM ſanctam in forma CRVCIS Patriarchalis, vbi per nongentos circiter annos fuit ſtudioſè conſeruata. Ordinem hunc, de quo ſæpiùs memini, iam ferè diſſolutum & obliuione ſepultum excitauit & inſtaurauit Innocentius IV. occaſione vltimæ apparitionis, quæ Carauacæ facta eſt annis XI. poſt eam euolutis.

CAPVT VI.

SENTENTIAE QVORVNDAM RECENtiorum de S. CRVCIS Carauacenſis apparitione.

QVamuis nulla hactenus prodierit hiſtoria in lucem de admirandis prodigijs, quæ, DEO per hanc Carauacenſem CRVCEM operante, crebrò euenerunt; non ita tamen eius præter naturam effecta latuerunt in obſcuro, vt nihil fama vel ad remotiſſimas orbis plagas detulerit. Scimus enim in Indijs, Iapone, China, & in exteris regionibus, in quibus Euangelij tuba inſonuit, omnes adeo piè & religioſè aduerſus hanc ſanctam Veram Crucem affici, vt ſimilis figuræ crucem vnicam, ex quacunque tandem materia conſtet, modò illam veram contigerit, pluris æſti-

 ment,

ment, quàm ſi alius aliam auro gemmis pretioſiſque margaritis ornatam offerat. quod non poteſt niſi Cælitum beneficijs adſcribi. Cùm enim Angelorum miniſterio huc fuerit deportata, ipſi ſunt qui etiam in extremis mundi partibus hanc, Deo auſpice, pietatem hominibus inſpirant. Qua de re nominatim ſcripſit P. Stephanus Paz Societatis Iesv in regnis Peruanis Prouincialis, qui pluribus verbis exaggerat, & laudibus extollit ſingularem illorum populorum amorem erga hanc veram Crvcem, cruceſque ab illa tactas. Huic propoſito valdè accommodatum enarrat exemplum P. Ioſephus Acoſta eiuſdem Soc. lib. 7. hiſt. Moral. Indiar. c. 27. qui ait fuiſſe in Prouincia Charcorum in Peru Hiſpanum militem, cuius nomen & patriam licet conſultò taceat ad parcendum honori, & minuendam infamiam, ex contextu tamen relationis facilè deprehenditur natus in quodam oppido Carauacæ propinquo. Hic igitur miles tam execrabilem duxit vitam, totque flagitijs ſe impiauit, vt propter corruptos mores patibulo fuerit affigendus, & à iuſtitiæ miniſtris hoc nomine iam quæſitus. quod illi fortè ceſſit ad ſalutem, ob ſingularem in hanc Crvcem affectum. Nam cùm ſe capiendum intelligeret, & paratum ſupplicium euitare cuperet, ſeque tutiorem inter barbaros & à fide Chriſtiana adhuc alienos Indos, quàm inter ſuæ nationis homines fore arbitraretur, profugit in vlteriorem prouinciam, quæ hodie vocatur S. Crvcis de Monte. Receptus eſt ab ijs nullo negotio, quia viderunt ſolum, & nullis armis formidabilem. Iam diu ſine metu ibi verſatus, cernit eos valde anxios & ſollicitos, vt pluuiam, qua longo tempore caruerant, à Dijs ſuis impetrarent. Adhibuêre miſeri preces, clamores, varios ſuperſtitionum variarum ritus. Fruſtra omnia. Miles itaque memor Carauacenſium, qui dum ſimili ſiccitate laborant, veram Crvcem è ſuo loculamento extrahunt, in publicâque ſupplicatione circumferunt, & ſtatim voti compotes fiunt, quadam die ſic eos allocutus eſt: Spondetiſné vos facturos quod docebo? Spondemus, inquiunt, & quidem libenter. Tum ille magnam crucem fabricatus erigit in loco eminentiore, & ait: Venerabundi procumbite in genua, & pluuiam per ſignum iſtud petite à cæli terræque moderatore. Quod vbi factum, adeò copioſa deſcendit, vt ipſimet Indi obſtupeſcerent,

peſcerent, qui, proiectis & conculcatis idolis, tanta Crucem reuerentia proſecuti ſunt, vt in quacunque neceſſitate ad eam tanquam aſylum confugerint, DEVSq; de ipſorum conuerſione certus nihil petentibus negarit. Nec diſtulerunt conuerſionem: ſtatim enim ablegarunt nuncios, qui poſtularent ad ſe mitti præcones Euangelij, & ſacerdotes qui fidei capita explicarent, &, Baptiſmo luſtrarent: Quod & obtinuerunt, fidesque Chriſtiana in illis partibus mirabiliter ſumpſit incrementum. Huius miraculi occaſione illi prouinciæ nomen S. CRVCIS de Monte inditum eſt. Ex his omnibus liquet DEVM non reſpexiſſe ad profligatos militis mores, ſed habuiſſe rationem CRVCIS, per quam, quaſi inſtrumentum, tam mirabilia effecit.

In Germania etiam tanta elucet quorundam pietas & affectio in hanc Carauacenſem CRVCEM, vt quemadmodum nos in cubiculis imagines CHRISTI, eiusque ſanctiſſimæ matris ad cultum impendendum collocamus, ita collocent illi venerationi augendæ impreſſam huius CRVCIS effigiem, annexo breui compendio apparitionis, cuiusmodi imagines ego quoque vidi huc allatas.

P. Iacobus Gretſerus Soc. IESV, natione Germanus, in libris quos de S. CRVCE inſcripſit, quædam recitat conſideratione digna & huic opuſculo iure inſerenda. Adeò, inquit, lib. 2. c. 13. mos ponendi in altaribus imaginem Crucifixi obtinuit, vt iam quaſi in legem tranſierit. Quare cùm pius ille ſacerdos in Hiſpania ſacrū facturus ipſo inuentæ CRVCIS feſto, cerneret nullam eſſe in altari crucem, ſubſtitit religione ductus, nec progredi voluit; qua erga res ſacras reuerentia effecit, vt Angelorum miniſterio crux fabrefacta, & in altari ad ſacrificium peragendum collocata fuerit, multis poſtea nobilitata miraculis, omnibusque Hiſpaniæ regnis notiſſima & celeberrima, & ab vrbe Carauaca CRVX Carauacenſis nominata, quæ CRVX hodie quoque piè aſſeruatur, eiusque ectypon, quâ coloribus, quâ varijs metallis concinnatum multi piè circumferunt non ſine indulgentijs conceſſis à ſummis Pontificibus. Iſta ad verbum P. Gretſerus. Quod ait, Angelorum miniſterio CRVCEM fabrefactam, non conſonat ijs, quæ, vt certa, ſuperiùs poſita ſunt. Conſtat enim longè priùs fuiſſe Hieroſolymis, & quidem

Digitized by Google

dem in magna veneratione habitam, quàm eam Angeli huc detulerunt; niſi fortè id velit, quòd ex illa parte Crvcis Christi, quam S. Regina Helena reliquit in templo Hieroſolymitano, Angeli, in forma, qua nunc eſt, fabricarint. Et hæc interpretatio à vero minimè abhorret. Nam F. Iacobus Bleda ex ordine S. Dominici in libro S. Crvcis miraculorum impreſſo Valentiæ anno MDC. cùm in miraculo LXII. agit de hac Carauacenſi Crvce, dicit factam ab Angelis. Eius enim figura & forma vſque adeo eſt elegans & admirabilis, vt humanum iudicium non potuerit ad tam præclaram & exquiſitam ſculpturæ artem pertingere: quemadmodum etiam, inquit, videmus idem accidiſſe in illa Crvce, quam in ciuitate Ouietenſi Angeli confecerunt Regi Alphonſo Caſto, circa annum DCCCXXVI. cuius forma excellens & peregrina omnes rapit in admirationem. Quis igitur neget & hanc poſſe cenſeri fabricatam ab Angelis? Et certè decebat ad Crvcem è tam pretioſo ligno formandam Cœlitum manus adhiberi, quòd terreſtrium hominum manus indignæ viderentur. Alphonſus quoque Ciaccon in libro de ſignis Crvcis, Romæ excuſo, anno MDXCI. c. 31. agens de memorabili huius S. Crvcis apparitione, ait, eam quadringentis circiter annis ſeruari cum ſummâ veneratione in oppido Carauacæ, non factam aut fabricatam manibus hominum, ſed operâ Angelorum, & eandem ex ligno, non tamen certum, ex quernóne, an ex alia quadam arbore paradiſi. Quòd affirmat non liquere ex quo ligno hæc S. Crvx fabrefacta ſit, ſuperiùs iam demonſtratum eſt, eſſe ex ligno Crvcis Dominicæ. Quòd vero ſubiungit Angelorum operâ confectam, id quidem omnes admittunt, ſed nullum habemus firmius probationis argumentum, quàm antiquorum traditionem, & communem hominum ſenſum & conſenſum. In reliqua parte capitis allegati perſequitur idem auctor apparentis S. Crvcis ſeriem conuenienter ijs, quæ ſuprà retulimus, niſi quòd adijcit regem illum Abuzeit poſt ſuam & multorum aulicorum ad ſacra Chriſtiana tranſitionem, Chriſtianos libertate donâſſe, & ſacello intra arcem conſtructo & dicato, angelicam illam Crvcem intra pretioſam arcam aſſeruandam repoſuiſſe, tribus hodie ſeris & totidem clauibus obſignatam, quarum vnam arcis præfectus,

ſecundam

Digitized by Google

ſecundam templi maximi primarius ſacerdos, tertiam ſenatus Carauacenſis habeat. Quæ præterea commemorat de annua ſolemnitate,quæ inſtituitur tertio die Maij, quo & Inuentionis S. CRVCIS, & Apparitionis huius feſtum celebratur, reijcimus in caput XVII. commodiùs tractanda. D. Oncala Eccleſiæ Abulenſis Canonicus, qui primus in lucem protulit hiſtoriam, ſiue memoriam apparitionis huius S. CRVCIS,in libro ſuo Apophia indigitato, non diſcedit ab ijs,quæ iam allata ſunt.Vnde ad vitandum repetitionis odioſæ tædium,non duximus neceſſarium eius verba recitare.

CAPVT VII.

TESTIMONIA DVO EX ANTIQVIS Monimentis Carauacenſium, & Conchenſium de S. CRVCIS apparitione, ac ſacræ Hoſtiæ miraculo.

VEL temporum iniuriâ, vel hominum incuriâ factum eſt, vt pauciſſima Carauacæ reſtent monumenta,& teſtificationes, quæ ad hanc CRVCIS apparitionem illuſtrandam ſeruiunt, & id quidem tribuere etiam poſſumus Mauris, qui ex regno Granatenſi huic oppido contermino multas calamitates & moleſtias intulerunt; remanſit tamen,velut ex naufragio,ſcriptum quoddam magnæ antiquitatis, quod licet breue ſit, & multa hiſtoriæ adiuncta,more veterum,prætermittat,ipſius tamen veritatis ſcopum attingit; quam veritatem tum ſtyli, & vulgaris locutionis ſimplicitas, tum publica Iudicis ad id rogati auctoritas confirmant. Sic autem ſummatim habet:

In nomine Domini. Amen. Notum ſit omnibus publicum hoc inſtrumentum viſuris,audituris,lecturis,quòd in oppido Carauacenſi die decima Decembris anno à Chriſto IESV ſeruatore noſtro MCCCCLXXX. coràm venerabili Domino Iacobo Ciaccon Regis ac Reginæ,Dominorum noſtrorum ſacellano Carauacæ,eiuſque tractus Vicario pro Reuerendiſſimo in Chriſto patre ac Domino Roderico de Borgia Epiſcopo Portenſi, Cardinali Valentino, Apoſtolicæ ſedis ViceCancellario, & Epiſcopatus Carthaginenſis adminiſtratore,& in præſentia mei Notarij,ac te-

C 3 ſtibus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſtibus infrà ſcriptis, comparuerint nobiles viri Petrus Fernandez Botia, Iudex ſupremus, & Ioannes Chinchilla, & Alphonſus de Robles, eiusdem oppidi Iudices ordinarij, & obtulerunt, ac per me legi curarunt ſcriptum quoddam, cuius ſeries hæc erat: Omnibus, quotquot teſtimonium hoc viderint, quos Devs ab omni malo præſeruet. Ego Garzi-Lopez de Cardenas Carauacæ Commendator, ſenatus & nobiles, Regentes & Officiales boniq́ue eiusdem oppidi incolæ, reuerenter nos gratiæ veſtræ & ingenuitati commendamus, optantes vobis à Deo magnum honorem & proſperitatem. Noueritis quòd ad ſignificandum & manifeſtandum omnibus fidelibus Chriſtianis rationem & conditionem ſanctæ Veræ Crvcis Carauacenſis, & prodigia per eam edita, & quæ edit quotidie, quæ maiores noſtri oculis vſurparunt, & qui in hoc oppido habitamus, experimur; mittimus nunc ad dignitates veſtras tanquam noſtrum Procuratorem P. F. Petrum ex Ordine Prædicatorum, quem veſtræ gratiæ & curæ commendamus, vt noſtris eleemoſynis aliquod auxilium conferre velitis ad reparationem & ornatum ſanctæ Eccleſiæ, turriumq́ue S. Veræ Crvcis, cuius apparitio fuit ſubſcripto modo:

Cûm Zeit-Abuzeit eſſet Carauacenſis Rex valde potens, habebat ſacerdotem quendam captiuum, cum quo die quodam colloquium habuit de ſacro Miſſæ, in quo ſacerdos dixit: Notum tibi ſit, Rex, quemcunque ſacerdotem ſacris veſtibus indutum dicentem verba illa, quæ Iesvs Christvs in vltima ſua cœna dixit, ex ea hoſtia, quam ſuis manibus accipit, & poſtea eleuat, fieri veram carnem, & ex vino, quod eſt in calice, purum ſanguinem; ideoq́ue ſacerdotem verè facere puri ac veri Dei corpus. Cui Rex dixit, ſe id non credere, ſed iuſſit facere, quod promittebat. Cui ſacerdos: Si tu Domine curaueris adferri omnia ornamenta neceſſaria ad Miſſam celebrandam, efficiam vt videas. Iuſſit itaq́ue rex ſacerdotem notare quæ eſſent adferenda. Quod ſacerdos fecit: oblitus tamen fuit Crucis. Rex ſuum nuntium miſit, qui omnia notata ornamenta attulit. Sacerdos die ſequenti, ſacris ſuis horis recitatis, cum rege ſeſe contulit ad vnam ex turribus arcis Carauacenſis, in qua nunc S. Vera crvx manet, induitq́ue ſe omnibus ornamentis, & præmiſſa piè de more confeſſione, acceſſit ad

Digitized by Google

ſit ad altare, vt Crucem adoraret, ſed cùm nulla eſſet, valde contriſtatus eſt, & conuerſus ad regem dixit, deeſſe ſibi vnam ex optimis rebus ad officium illud ritè peragendum. Cui rex, Quid illud eſt? ſacerdos dixit: Crux deeſt. Tunc rex reſpexit ad altare, viditque S. CRVCEM, ac dixit: Illáne eſt, quæ eſt in altari? Sacerdos magna cum deuotione CRVCEM illam accepit, eaque adorata ſacrum ipſum cœpit. Cùm autem conſecratam Hoſtiam pro more eleuaret, attentè reſpiciens rex vidit in manibus ſacerdotis infantulum candidiſſimum & pulcherrimum. Statim autem atq; ſacerdos ſacro Miſſæ finem impoſuit, Zeit-Abuzeit aduertens Chriſtianorum legem rem eſſe ſanctam, & laudans ipſum ſacerdotem, factus eſt Chriſtianus, ipſe eiusque ſubditi, qui id voluerunt, tradiditque Chriſtianis regionem illam, ipſi verò data eſt à Chriſtianis arx Abuzeit prope Concham, in qua vitam ſuam piè traduxit, & ibi eius corpus manet ſepultum.

Hæc prima eſt S. Veræ *CRVCIS* hiſtoria, quam pro dignitate nullius ingenij acumen, nulliusque eloquentiæ vbertas ſatis hactenus explicare potuit. Teſtimonij autem huius finis videtur potiùs fuiſſe, vt Vicario illi perſuaderetur excellentia miraculi de CHRISTO, qui ſe in Hoſtia conſecrata aſpiciendum formâ puelli præbuit, quàm miraculi de apparitione ipſius S. Crucis. Id enim, quod omnibus notiſſimum, ſilentio ſupprimit, ab Angelis nimirum eam delatam, & alias periſtaſes ad rei declarationem neceſſarias, Vicario tamen & vulgo non ignotas, ne verbulo quidem attingit.

Alterum teſtimonium in membrana exaratum, Carauacenſi longè antiquius reſeruatur in archiuo eccleſiæ Conchenſis, ex quo huic hiſtoriæ magnũ lumen accedit. Nouit ſcilicet DEVS, tempus & modum ſuum honorem propagandi; & quotidie clarius patefacit ſanctiſſimæ Crucis apparitionem. Videmus enim à viginti iam annis pios quosdam ſcriptores hanc libris ſuis intexuiſſe; & inuenta eſſe pronuper monumenta peruetuſta, veritatis teſtandæ veluti fulcra & firmamenta, quæ needum antiquitas ex latebris produxerat, forte DEO ita ſuauiter curſum operis dirigente, vt tum producerentur, quando ad amplificandam ipſius gloriam magis expediret. Id ego propterea ſic eueniſſe exiſtimarim, quòd nunquam

nunquam deſint homines pertinaces, atque vtinam non omnino infideles, qui minimas arripiunt quasque occaſiones inficiandi, quod piè & ſanctè à Catholicis creditur, & communi rectè ſentientium iudicio approbatur. Sed ad rem. Cùm ſæpe laudatus P. Hieronymus Roman de Higuera Societatis Iesv colligere meditaretur hiſtoriam S. Iuliani Epiſcopi Conchenſis, in archiuum eius eccleſiæ admiſſus, vetuſtiores codices, & quicquid paginarum fuit, diligenter peruolutauit, ac bonâ fortunâ incidit in membranam rudi ſtylo, ſimpliciq́ue eius ſæculi more, ſcriptam de apparitione ſanctiſſimæ noſtræ *CRVCIS*, cuius legendæ & mihi copiam pro amicitia fecit; ſed in ea nec locus nec tempus adiungitur. Quidam tamen ciuis Conchenſis mirè addictus cultui *S. CRVCIS*, votiuæ peregrinationis cauſa huc veniens, aliud mihi exemplar obtulit, priori verbis & ſententiâ prorſus geminum, cui Æra eſt appoſita; & ſic habet:

Dominus Gineſius Perez Chirinus, filius Alphonſi Perez Chirini, qui fuit ex primis Conchæ fundatoribus ſeu colonis, quorum familia notiſſima originem ducit ex Toleto, profectus eſt in prouinciam Carauacenſem ad fidem Iesv Chriſti Mauris prædicandam, accepto ſaluo conductu à Rege Ferdinando ſancto, patre regis Alphonſi, cumq́ue Azebuteyt rex Carauacæ, Murciæ ac Valentiæ, eum interrogaret, quamnam artem noſſet? reſpondit, ſe eſſe ſacerdotem. Idem autem rex quæſiuit à cæteris captiuis, & iuſſit vnumquemque officium ſuum exercere. Sacerdos autem ei dixit, ſe non poſſe abſque eccleſiaſticis ornamentis ſacrum Miſſæ peragere. Intelligens autem rex talia ornamenta Conchæ inueniri, miſit, qui ea adferret. Quibus allatis, & altari erecto, ſacerdos ſeſe induit; cui rex dixit, vt ſuum munus aggrederetur. Cumq́ue ſacerdos hæreret, dixit ei Rex: Cur non exerces munus tuum? Sacerdos replicauit, quòd ſibi deeſſet optima pars, ſcilicet ſancta Crux. Rex autem attollens oculos, aduertit duos Angelos magna cum claritate Crucem geſtantes. Sacerdos igitur accepta *CRVCE* confortatus, gratias egit Deo, & ſacrum ſuum feliciter peregit. Cognitum poſteà eſt, quòd Angeli *CRVCEM* accepiſſent ex pectore Patriarchæ Hieroſolymitani. Et rex ipſe baptizatus eſt ab ipſo ſacerdote Chirino, cuius compatres fuerunt

Digitized by Google

fuerunt Petrus de Montfort, & Beluis, & Dn. Ioannes, nobiles, qui captiui tenebantur, ipſeque rex in Baptiſmo vocatus eſt D. Vincentius Beluiſius. Erant autem hi duo nobiles captiui D. Petrus & D. Ioannes Conchenſes; à quibus, & ab ipſo D. Gineſio hæc omnia accepimus. Hos Rex Zeit-Abeyzubeyt liberos dimiſit, & Epiſcopus Conchenſis humaniſſimè excepit anno Chriſti M C C L I V. ſuamque vitam finiuit D. Gineſius ſanctè, cuius corpus iacet apud S. Mariam Conchenſem. Hæc continent prædicta monumenta.

In catalogo Iudicum ciuitatis Conchenſis reperio poſitos D. Ioannem Perez Petri Moreni, anno M C C X L. & anno M C C X L V I. D. Petrum de Montfort & Beluis, qui duo fortaſſis regem Maurum ex Baptiſmo renatum ſuſceperunt, vt ex recitato inſtrumento pateſcit; qui quod fuerint nobiles & ingenui, in ſupremos Iudices ciuitatis allecti ſunt. Quin & ipſe D. Chirinus videtur dignitatem aliquam geſſiſſe in Eccleſia cathedrali Conchæ, quam dignitatem ſuſpicor propter inſignem eruditionem vitæq; integritatem ei collatam à S. Iuliano II. ibidem Epiſcopo, ſucceſſore magni illius DEI famuli Ioannis Iagnes. In quadam enim conſtitutione ab ipſo S. Iuliano facta & ſubſcripta, inter alios teſtes qui eandem confirmant, hæc etiam ille: Gineſius Perez Archipresbyter ſubſcribo. Qua dignitate recens auctum oportuit, quòd inter poſtremos ferè ſubſcriptos reperiatur.

Ex hiſtoria, quam compoſuit Iacobus Rex Aragoniæ colligitur, Anno Chriſti M C C X X V. cùm obſideret Peniſcolam, multò antequam Maioricam oppugnaret, regnaſſe in Murcia & Valentia, Abuzeit, ipſique partem vectigalium ſuorum regnorum obtuliſſe, quotannis pendendam, ſi à bello deſiſteret, & in Aragoniam cum exercitu regrederetur. Legitur etiam in Hiſtoria generali Regis Alphonſi, quem Sapientem vocant, Anno V I. Regis Ferdinandi Sancti, patris Alphonſi, Murciæ & Valentiæ regnum tenuiſſe Zeit-Abuzeit, qui ſe Conchæ ipſius clientelæ ſubiecerit, tantùm vt bellum, quod propè ſingulis annis à Rege Ferdinando ipſi inferebatur, redimeret: itaque varijs nominibus ab auctoribus afficitur. Rodericus enim Toletanus Archiepiſcopus vocat

Digitized by Google

Zeit-Abocerith: Arabes Zeit-Ben Zeit: antiquæ Chriſtianorum inſcriptiones Azeit. F. Ioannes Æygdius Zamorenſis Azenbutey: vulgus Zeite-Abuzeite Arcloth, & hoc inſtrumentum Azebutey. Sed quidquid ſit de appellationum varietate, omnes tanquam oculati teſtes de regno eius conſentiunt, licet in tempore aliquantulum diſſentiant. Ioannes Paulus etiam in lib. antiquitatum refert hunc Zeit-Abuzeit fuiſſe eximium Philoſophum ipſumque eſſe autorem hiſtoriæ animalium, quæ eſt inter opera Auicennæ. F. Ioannes de Marieta, in tractatu de ciuitatibus Hiſpaniæ, ait eum regnandi exordium feciſſe anno M c c x i i. Beuter, Miedes, & alij regiam poteſtatem vſurpaſſe ad annum vſque M c c x x v i i. aut, quod magis quibusdam arridet, ad annum M c c x x i x. Hic poſtea expulſus à Zahen Deniæ Domino, & Abenhuc Mauris, qui diuerſis ex partibus eum adorti ſunt, priuatam & pauperem duxit vitam, ſub clientela Chriſtianorum regum: de quo poſtea pluribus. Et quoniam ipſe Abuzeit prouidè cauebat, ne Mauri Baptiſmo tinctum ſubodorarentur, quemadmodum id ipſe ſeriò cõmendauit Eccleſiæ Segoruienſi, cui priuilegium quoddam indulſit anno M c c x x x v i; hinc auctores ambigui non poſſunt ſe expedire, vt deſignent exertè annum quo in Chriſtianam legem iurârit cœleſti lauacro purgatus. Omnis tamen difficultas & dubitandi anſa præciditur per dictas iam relationes inſtrumentorum Carauacenſis & Conchenſis, quæ à tot retrò ſæculis in obſcuro delituerunt ad hanc vſque diem, qua Deo cordi fuit pro ſui nominis exaltatione ignorationis nebulas diſpellere, & dubitationem tollere de apparitione huius S. Crvcis. Ex quibus omnibus conuincitur hanc annorum ſupputationem reſpondere actis & euentis illius temporis. Traditur enim, & quaſi pro certo aſſeritur ab hoc rege Zeit-Abuzeit multos ob Chriſtianæ fidei confeſſionem circa annum M c c x x i i. martyrio affectos, quos inter duo ex ordine S. Franciſci, qui, vt priùs dictum, antequam ad ſupplicium educerentur, vaticinati ſunt eum breui futurum Chriſti cultorem.


INTER

Digitized by Google

CAPVT VIII.

INTERPRETATIO CHARACTERVM Gothicorum, & notarum Arabicarum, quæ in ſacello S. CRVCIS Carauacæ inueniuntur.

MVltùm valere viri etiam doctiſſimi cenſent, ad ſyncerè iudicandum ſtatuendumque de rebus antiquis, auctoritatem imaginum, characterum, notarum hieroglyphicarum & contractionum, quas pictas, ſculptas, ſcriptasúe reliquerunt maiores noſtri in muris, lapidibus vel tabulis, qui licet longiore ſcriptione, & laborioſa ſingularum litterarum expreſſione non delectarentur, ſicut homines noſtro æuo; hoc tamen compendio vſi rerum olim geſtarum memoriam ad poſteros transmiſerunt, ita quidem abunde, vt de veritate ſaltem nullus meritò poſſit dubitare. Huiuſmodi vocum contractiones ſiue characteres præter alia teſtimonia reperimus in ipſo S. Crvcis ſacello, quorum quadraginta & vnus cælati viſuntur in ambitu rotundæ cuiusdam feneſtræ, ſiue parietis concauo, qui eſt è regione altaris, cui Crvx includitur. Eorum formam & figuram hic circulus exhibet.



Miſi-


Miſimus præteritis annis Valentiam, in Aragoniam, Luſitaniã, Salmanticam, & ad alias Hiſpaniæ partes, imò etiam in Africam ad viros linguarum peritiſſimos, vt hos characteres interpretarentur, nullus tamen, qui perfectè ſenſum aſſequeretur, repertus eſt, donec, Deo manifeſtante theſauros ſuos, quos in monte ſancto Granatenſi abſconditos hactenus cuſtodierat, eô proficiſceretur accerſitus, vt laminarum inſcriptiones, & libros ibidem repertos explicaret Michael de Luna Medicinæ Licentiatus, idiomatum variorum callentiſſimus, qui binis ad me datis, (prioribus quidem xxix. Septemb. anni MDCIII. poſterioribus autem VIII. Martij, anno MDCIV.) ait hos eſſe characteres Gothicos, & hanc continere ſententiam: Anno quingenteſimo nonageſimo quarto Arabum, tempore Mahomat: Abuzeit rex potentiſſimus, & triginta homines in hoc habitaculo conuerſi fuerunt ad veram legem Saluatoris, & hoc Dei gratia Crvce duplicata mediante, quam Angeli Dei attulerunt, & alij multi eos concomitantes, & adiuuantes ad celebrationem, ad quorum memoriam hæ litteræ fuerunt cælatæ. Hæc ad me prædictus Licentiatus Michael de Luna, cuius vtrumque autographum conſtitui reponere in Archiuo Eccleſiæ huius S. Crvcis.

Sed obijciet fortaſſe nonnemo, quî fieri poſſit, vt tam paucis characteribus tot verba & ſententiæ comprehendantur. Facilis eſt ratio perſuadendi, ſi intueamur exempla ſimilia, & apud nos conſueta. An non quattuor hæ litteræ. I. N. R. I. in titulo Crvci Dominicæ affixo ſignificant IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM? an non & hæ totidem litteræ S. P. Q. R. in labaris pomparum triumphalium & vexillis militaribus pingi quondam ſolitæ, totidem verba reddunt: Senatvs Popvlvsqve Romanvs? Cur non ſub iſtis quoque characteribus velut notis hieroglyphicis plus lateat quàm vulgaris legendi ratio præſefert? Quid? quod etiam hodie Chinenſes ex vno quandoque charactere totam ſententiam eliciunt, vt teſtatur P. Ioſephus Acoſta Soc. Iesv in ſua de Indijs orientalibus hiſtoria lib. 6. c. 5. Idem iudicium eſto de alijs quàm plurimis populis & gentibus, quibus huiuſmodi notarum vſus non incognitus.

In pariete ad latus altaris, vbi legitur Euangelium, depictus eſt rex.

Google

eſt rex quidam equo ſublimis, cærulea quadam chlamyde indutus pretij, vt apparet, ingentis, qua eâdem amictus cernitur in pluribus eiuſdem ſacelli partibus, multumque in omnibus conformem & per omnia ſimilem, licet diuerſum alicubi ſitum obtineat, oſtentat, quod argumentum eſt ipſum adſtitiſſe pictoribus præſentem quando effingebatur. Imaginem circumſtant plures alij depicti, qui ſacerdotem quendam vinctum tenent. In regiæ veſtis fimbria pulchrè admodum expreſſi conſpiciuntur hi viginti nouem characteres.



Quorum ſenſus ille eſt, eodem interprete Licentiato Luna. In memoriam meæ conuerſionis, & ad gloriam DEI, regiam hanc veſtem ei obtuli vt illa vtar in die S. CRVCIS, ſolemnitatis eius cauſa.

Ex quo coniectura ducitur regem hanc veſtem adeò magni æſtimâſſe, vt rarò induerit niſi vel in natali ſuo, vel celebriore aliqua pompa, cùm in publicum ei pro maieſtate prodeundum, & quò redderetur honoratior, in pretioque maiore in poſterum haberetur ad gloriam S. CRVCIS ſolum geſtaſſe. Sella equi, cui rex inſidet, à parte anteriore his, ornamenti loco, quattuordecim characteribus decoratur.



Quorum iſta ſignificatio: In hoc equo exaltaui legem DEI, cuius hoſtes ſæpiùs in pugna deuici.

Digitized by Google

Quòd autem pro religionis Chriſtianæ defenſione arma ſumpſerit, ſatis ſuperque compertum eſt. Hiſtoriæ enim Caſtellanæ & Aragonicæ referunt eum iuiſſe comitem regi Ferdinando Sancto, cùm oppugnauit expugnatamque cepit Hiſpalim, & regi Iacobo, cùm Valentiam occupauit.

In altero muro qui eſt ad dextram, ſiue locum Epiſtolæ, depictus cernitur ſacerdos Chriſtianus quaſi diſputans cum rege, regiſque adiutoribus Mahometanis; qui ſacerdos deinde coram rege aſſidente orſurus ſacrum Miſſæ officium ſubſiſtit, Angelis deferentibus CRVCEM, cuius effigiem, magnitudinem & menſuram iuſta Symmetria hic libuit repræſentare.

Huius

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Huius figuræ poteſt hæc non improbabilis cauſa reddi, quòd Angeli ex ligno Crvcis, in qua Christvs pro ſalute mundi oppetijt mortem, eidem ſimilem voluerint efformare: quæ Dominica crvx, vt S. Cyprianus contra Quirinum c. 22. S. Hieronymus in c. 9. Ezechielis, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem pari conſenſu tradunt, proximè acceſſit ad ſimilitudinem litteræ Græcorum, imò & Hebræorum veterum Tau, aut Latinorum T. cui ſi apponatur titulus, ſpeciem Crvcis Patriarchalis exprimit cum quattuor brachijs, ſeu terminis & finibus.

De qua autem arbore lignum Crvcis in qua Christvs pependit, fuerit deſumptum, cùm nihil certi conſtet, haud operę pretium, varias opiniones, quarum nonnullæ commentis ſimiles ſunt, huic compendio inſerere: qua de re vtiliter legetur R. P. Iacobus Gretſerus lib. 1. de S. Cruce cap. 4. 5. & 6. Theodulphus & S. Mater Eccleſia in laudibus, quibus S. Crucem exornat, vocat *arborem decoram & fulgidam,* qui decor etiam in iſta exigua particula ſe exerit, quæ in argentea inaurata capſa paulò latiore & longiore, quàm ſit ipſa, cuſtoditur, quàm ante 224. annos donauit D. Laurentius Soarez de Figueroa ſupremus Ordinis S. Iacobi Magiſter. Eadem autẽm theca includitur alia eburnea, & vtraque ſimul aſſeruatur in ſacrario eiusdem altaris, quod triplici ſera obſeratur, & communitur. Eius color eſt quaſi cinnamomi ſplendeſcentis, lignum autem ſolidiſſimum à carieque omni & teredine illæſum. Crvx ipſa laminis aureis per omnes angulos artificio ſummo elaboratis ambitur, &, vt circumgeſtetur commodiùs, ferculo aureo, feneſtellis è cryſtallo pellucente per gyrum inſertis ſuſtinetur. In ſacello fouentur perpetuò lampades aliquot accenſæ. Teſtudo eius ſupernè pergulâ ambitur, in qua patent quaternæ feneſtræ ad totidem mundi plagas, in quibus ſanctiſſima Crvx exponitur, cùm tempeſtas periculoſa timetur.

In muro è regione altaris, in quo tabulæ pictæ loco rotundam feneſtram eſſe demonſtrauimus, conſpiciuntur duo ſacerdotes Mauri, quos illi Alfaquies appellitant, alijque viri graues adſtant regi Baptiſmum ſuſcipienti, quem illi confert ſacerdos quidam Chriſtianus, qui, vt ex faciei lineamenris conijcitur, idem ille eſt, qui captiuus poſtea ſacro operatus fuerat.

Ad

Ad pedem baptiſterij genibus humi defixis manibusq; complicatis apparet quædam regina vultu ad hilaritatem compoſito & pietatem ſpirante, in veſtitu valdè magnifico, in cuius fimbria hi quattuor & triginta characteres inſcripti.



Eorum hæc interpretatio: Ego regina Hayla, nunc Helena, vxor regis Abuzeit, & duo filij mei, conuerſi fuimus per gratiam DEI, ad fidem ſanctam, cuius memoriæ cauſa ſum hic depicta.

Quando hæc Regina ad Religionem Catholicam animum adiecerit, & Baptiſmum impetrârit, nemini hactenus fuit exploratum, donec diuino nutu ex iſtis characteribus tempus patefactum eſt. De filijs plura inferiùs.

CAPVT IX.

REX ZEIT-ABVZEIT MAGNAS PATItur perſecutiones à ſubditis, quem Chriſtianis ſacris initiatum ſuſpicantur.

REX Zeit-Abuzeit, pro inſigni, qua pollebat, ſapientia, & innata iudicij acrimonia prudenter agnouit quantum beneficium ſibi à DEO Opt. Max. eſſet collatum, quo auſpice, poſt Mahometanæ falſitatis tenebras lucem Chriſtianæ veritatis aſpexit. Itaque cogitauit largitori tam ſingularis doni gratum aliquod præſtare officium. Et quia inaudiuit placere ante omnia obedientiam, decreuit eam CHRISTI in terris Vicario deferre per certos homines, quos Romam ideo ablegauit, vt Pontifici mentem ſuam aperirent, & obſequelam ſuo nomine ſponderent. Non potuit occultari legatio, ſed ſagaciter à ſubditis omnia rimantibus fuit deprehenſa. Quapropter ipſi, vt Epiſcopus Burgenſis fatetur, qui generalem Caſtellæ hiſtoriam condidit, regem deſignarunt v-

num ex proceribus regni Zahen nomine, Deniæ Dominum, cui Valentiam & præcipuas regni ſedes tradiderunt, qui aliorum quoq; multorũ fultus auxilio, ipſum Zeit-Abuzeit Valentia ditionibusq; proprijs expulit. Expulſus rex confugit ad Iacobum Aragoniæ regem, cui promiſit ſe bona fide fidem Chriſtianam amplexurum, & regnum, ſiquidem per eum recuperaret, ipſius poteſtati dediturum. Et ne fraudem ſubeſſe ſuſpicaretur, recenſuit hæc ei occaſione prodigioſam S. Crvcis apparitionem, hoſtiæque ſacræ miraculum. Rex igitur Aragoniæ non modò ampliſſimis verbis auxilium pollicitus eſt, ſed re ipſa præſtitit, & ita ſimul vterque manu armata regnum ingreſſi facile coniuratis hoſtibus extorſerunt, illudque ex pacto retinuit Iacobus, & regi Abuzeit attribuit oppida quædam, & poſſeſſiones prope Xatiuam, quas vel hodie obtinent Beluiſij eius ſucceſſores, qui in Valentiæ regno nobilitate & familiæ ſplendore omnibus anteſtant.

At nec regnum Murcienſe diu quietum fuit. Rebellauit enim & illud contra Zeit-Abuzeit, eique regem ſubſtituerunt incolæ, quendam Abenhuc hoſtem infenſiſſimum eorum omnium, qui Almoadum ſectæ adhærebant. Hic itaque Abenhuc regem ſuum propter ſuſpicionem mutatæ religionis, ex omnibus ferme regni Murcienſis finibus eiecit. Nec impunè. Alphonſus enim rex Legionenſis, exercitu conſcripto, & in ſocietatem belli adſcito filio Ferdinando rege Caſtellano, tyrannum de regno per vim occupato magnam partem extruſit, ſuas quoque reſiduas copias adiungente Abuzeit. occiſo tamen Abenhuc, eius filius Hudiel, locis quæ in Murcia ex paterna hæreditate ſibi obuenerant, ſponte ceſſit regi Ferdinando, cui & ſuam portionem in eodem regno ſibi reliquam Abuzeit libenter applicauit. Ferdinandus contrà penſionem annuam in ſumptus neceſſarios ex Cartagena præſidijsque finitimis ei decreuit, de quo in ſequentibus commodior erit agendi occaſio. Verùm vti ex conſenſu Abuzeit, Ferdinandus rex regnum adeptus cum filio ſuo Alphonſo Infante Murciam peruenit, duo filij Abuzeit Abahomat, & Alibuzeit patrem comitati ſuauiſſimo Christi iugo colla ſubdiderunt, & à Roderico Archiepiſcopo Toletano ſalutaribus aquis perfuſi ſunt, maior

Ferdinan-

Ferdinandi, minor Alphonſi patrinorum nomina ſortiti.

Ferdinandus rex, omnibus ritè cum Abuzeit tranſactis, in Bœticam & Hiſpalim abijt, vt eas ditioni ſuæ adijceret. Alphonſus autem eius filius multis diebus Carauacæ commoratus non tanti faciendam putauit vrbis alioquin regiæ poſſeſſionem, quanti theſaurum pretioſiſſimum S. CRVCIS. Ad augendum itaque illius cultum ſacerdotes conſtituit, qui diuinis officijs vacarent, & nobiles viros, qui honorificè cuſtodirent, imò perpetuas quaſi excubias agerent.

CAPVT X.

LOCVS IN QVO ZEIT-ABVZEIT SIVE Vincentius Beluiſius, tumultu ſedato, vitæ reliquum exegit.

IN diœceſi Conchenſi eſt territorium, quod hodie quoque nominant regionem Hungaricam, quam Hungari forte priſcis temporibus incoluerunt. In hoc tractu mons eſt excelſus, in quo arx olim ædificata, cuius fabrica & ſtructura ad antiquam Romanorum architecturam accedit, eamque vulgo appellant Azeite. Ad hanc recepit ſe rex, abdicato regno; qui cùm origine Maurus eſſet, nuncupabatur Abuzeit; à quo & arx nomen mutuata eſt, licet tot ſeculorum decurſu fuerit corruptum; qui vnâ cum religione mutata mutauit & gentilitium nomen, vocaturq; in poſterum Vincentius Beluiſius. Cur autem iſtam ſeceſſionem delegerit, in iſtaque arce vitam ad ſenectutem, imò ad mortem vſque, traducere voluerit, hæc, præter alias, occurrit prima cauſa, quòd conſtituerit quàm longiſſimè à regnis vltrò relictis abeſſe, ne daretur occaſio reuocandi in memoriam priſtinum ſtatum, & fortunæ proſperitatem. Sapienter enim iudicabat & oculis quaſi videbat eam nihil adiumenti adferre ad æternam fœlicitatem conſequendam. Quò igitur à rerum terreſtrium curis eſſet expeditior, eò ſentiebat faciliùs ad cœleſtem patriam ſe poſſe aſpirare. Currenti ſtimulos addebant tot prodigia, quæ DEVS in eius gratiam edere dignatus eſt, & aduerſa quæ pro fidei conſtantia iam tolerârat. Altera non minus idonea potuit eſſe cauſa, quòd

Digitized by Google

rex Ferdinandus, pro regia liberalitate, oppida & loca ſatis multa prope arcem ei attribuerit, vnde ad lautam ſuſtentationem ſumptus copioſi ſuppeterent. Tertiam exiſtimamus non poſtremam, quòd hac ratione habuerit optatam commoditatem familiariter agendi, & ſæpiùs euocandi Gineſium Perez Chirinum tanquam ſuæ conuerſionis, ſecundum Devm, auctorem, & in via Chriſtianæ modeſtiæ ductorem, cuius conſuetudine proficeret in virtutibus, & quotidie ad maiorem ſanctimoniam exemplo incitaretur. Quia enim tardiùs, & ætate ad finem deuexa, militiam Chriſti aggreſſus eſt, indigere ſe animaduertebat talis tantique viri monitis, & aſſidua cohortatione ad meliorem frugem; maximè cùm ſciret Devm non ponere diſcrimen inter potentes reges, & homines mundo deſpicabiles; ſed è contrariò vt plurimùm in hos plura dona conferre ſolere, quæ illis arcanâ de causâ denegat; ſiue quòd de ſua magnitudiue & opulentia præſidentes incurioſiùs ad veram rerum cœleſtium cognitionem tendere ſtudeant, ſiue quòd toti regnorum ſuorum gubernationi & amplificationî dediti, in varias ſolicitudines diſtrahantur, ita vt ijs impedimenta ex impedimentis nectantur, quò minùs ad virtutis apicem pertingant. Intentus igitur erat Vincentius agellorum & villarum ſuarum culturæ, & ex prouentibus, pauperum neceſſitatibus liberaliſſimè pro modulo ſuccurrebat. Vno verbo, tam pium & à vitiorum labe integrum ſe exhibuit, vt in omnium oculis non tam homo terreſtris, quàm angelus appareret. Quid enim mirabilius, quàm tot olim regnorum dominum, & in delitijs enutritum ad tantam ſponte moderationem & frugalitatem deſcendiſſe, vt pauciſſimis contentus vitam priuatam duxerit, & cum ſumma animi æquitate, & cordis lætitia ad extremum vsque halitum perſeuerârit, contemptis mundi voluptatibus & fallacibus promiſſis? eſt ſanè cur Deo, à cuius voluntate ſola dependebat, infinitas agamus grates, qui nouit feroces leones in agnos manſuetos, gigantes robuſtiſſimos in pygmæos imbelles, ſapientia inflatos in ſimplices & humano iudicio abiectiſſimos conuertere. F. Ioannes Ægydius Zamorenſis proteſtatur hunc ſibi viſum, & familiaritatem, quâ licuit, interceſſiſſe. *Ego* inquit, *dum hæc ſcriberem, aliquoties alloquutus ſum, ſcilicet Adzebuteum vel D. Vincentium Belui-*

Digitized by Google

Beluiſium. Erat homo comis, humanus, prudens, iuſtus, procero corpore, inceſſu regio, oculis pulcherrimis, facie decora, & maieſtatis plena capillis demiſſis, integumento capitis ſerico, veſte purpurea, ſemper multis cinctus famulis, & filijs comitatus. Hæc ille.

Tam altè pio regis pectori & intimis ſenſibus hæſerat inſculptum S. CRVCIS miraculum, vt ſicut illud ad memoriam refricandam & pietatem alendam curauit depingi in ſacello S. CRVCIS Carauacæ; ſic etiam curauerit depingi in arce, quam habitandam acceperat, ibique ſacrum quotidie inſtituerit celebrari, vt ſemper ob oculos verſaretur ſingulare beneficium à diuina maieſtate immerenti conceſſum, in perpetuaque gratiarum actione perſiſteret. Harum picturarum, licet aliqua nunc remanſerint veſtigia, diuturnitate tamen temporis & negligenti earum reparatione vix, & ne vix quidem, diſcerni poſſunt. nihiloſecius tamen quidam illius ditionis incolæ ob canitiem venerandi, & fide digni affirmant ſe eas vidiſſe, illiſque fuiſſe per omnia ſimiles quæ in S. CRVCIS ſacello Carauacenſi conſpiciuntur, & propter antiquitatem meritò ſuſpiciuntur.

Arcem verò Abuzeite, & agros confines teſtamento reliquit Hoſpitali S. Iacobi in ciuitate Conchenſi, quos hodie quoque aiunt poſſidere. Idem F. Ioannes Ægydius cùm ſyllabum texit eorum, quæ reges Aragoniæ & Caſtellæ in compenſationem regnorum ſibi traditorum ad priuatos vſus illi contulêre, aſſerit D. Iacobum Aragoniæ regem ei comitatum quendam in regno Valentiæ, & multas alias poſſeſſiones decreuiſſe, quæ ad filios iure hæreditario poſtea ſint deuolutæ. Ferdinandus etiam Caſtellæ rex, ne videretur liberalitate inferior, ei redditus confirmauit ex Cartagena, Lorca, & Mula, & prope oppidum Aquilæ in diœceſi Conchenſi, arcemque prædictam cum multis adiacentibus locis eius poteſtati ſubiecit. Et rationi planè conſentaneum fuit reges in ipſum beneficos & munificos extitiſſe, cùm nihil eorum, quæ in Mahometiſmo acquiſiuerat, retinere vellet, ſed omnibus renuntiaſſet. Itaque & in expugnatione vrbis Murciæ, oppidi Paſcalis, & debellatione Hiſpalis, cùm in regis Ferdinandi exercitu fuiſſet, & ſtrenuam operam ipſi nauâſſet, cum alijs qui regi forti-

Digitized by Google

tudinem ſuam probarunt, virtutis præmia conſecutus eſt. Nam & Conchenſibus, quoties in Maurorum ditiones irruptiones faciebant, manu & auxilio prẹſtò erat.

De rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus libenter & frequenter tractabat cum Epiſcopo ciuitatis illius; ſæpiſſimè autem & familiariſſimè cum D. Gineſio magiſtro ſuo & moderatore vitæ ſpiritualis. Vir fuit boni exempli, & ſicut de Iobo ſacræ tradunt litteræ, neque in proſperis elatus, neque in aduerſis abiectus. Quanti fecerit illum Devs, ex hoc vno poſſumus augurari, quòd eundem eodem ipſo die mortis debitum ſoluere, & ad immortale præmium euocare voluerit, quo anniuerſariam memoriam ſolemni cærimonia peragit Eccleſia feſtum S. Crvcis inuentæ, anno nimirum MCCLXX, vt qui dies fuit conuerſionis principium, fieret quoque principium æternæ mercedis annos nato LXXXII. Communis hominum perſuaſio refert eum in cenſum ſanctorum: cui non auderem hoc nomen attribuere, niſi Reuerendiſſimus P. F. Franciſcus Gonzaga Generalis Miniſter Ordinis S. Franciſci, ita illum appellaret in hiſtoria Seraphica, ad quem teſtimonia & antiqua monumenta ex Monaſterio S. Franciſci, quod idem Rex Valentiæ conſtruxit, ſunt miſſa.

Cuius rei luculentus teſtis F. Rebolledus in prima parte, qua huius Principis ſanctitatem his verbis amplificat: Rex Maurus, Valentiæ, quæ inſignis eſt ciuitas Hiſpaniæ citerioris, tribus à mari milliaribus diſſita, vbi auditione accepit Monachos ex ordine Minorum S. Franciſci prope ipſam ciuitatem in Mahometi doctrinam acerbiùs inuehi, & Chriſtiana dogmata magnis laudibus euehere, iuſſit eos trucidari, vt ſuperiùs etiam relatum, qui futurorum ex diuino fauore conſcij, prædixerant antequam ad glorioſum ſupplicium raptarentur, eum Chriſtianorum numerum non modò aucturum, ſed in eâdem fidei conſtantia & firmitudine obiturum. Nec aliter prædictum, quàm factum. Nam regno ſpoliatum à Zahen Deniæ dynaſta, Iacobus rex Aragoniæ minimè deſeruit, ſed regnum valido exercitu recuperauit anno MCCXXXVII. Ipſe verò rex Maurus, abnegata Mahometi perfidia, deſignauit locum templo ædificando, in quo S. Monachi ſanguinem in Christi confeſſione profuderunt, vbi & nunc eſt cœnobium Valentiæ religio-

religioſorum ex familia S. Franciſci. Ingredientibus templum ad ſiniſtram occurrit artificioſè & eleganter elaboratum ſepulchrum huius regis Zeit-Abuzeit, qui poſt ſalutare lauacrum appellari voluit Vincentius Beluiſius. hic vt ſanctè vixit, ita ſanctè diem clauſit extremum. Sepulcro ex altera parte reſpondet ſacellum in memoratorum Martyrum Franciſcanorum honorem extructum. Huc vſque auctor ille. Quòd autem dixit in iſto conuentu Valentino eſſe regis ſepulchrum, non ita eſt interpretandum, quaſi eius corpus ibi ſit terræ mandatum; ſed quòd potius cenotaphium ibi videatur. Si enim corpus illuc fuiſſet deportatū, non vtique illud præterijſſet ſilentio. Quamuis autem religioſi ex pio quodam affectu, regis & ſuo honori voluerunt conſulere monumentum erigendo; rex tamen ex animi ſubmiſſione renuit ibi cadauer ſuum humari, indignum ſe arbitratus qui prope ſanctos conderetur.

A regis huius exceſſu vitam prorogauit adhuc D. Gineſius Perez Chirinus vſque ad annum Domini MCCLXXX. quo feliciter ex hac vita migrauit, ſepultus in principe templo Conchenſi, in naui, vt vocitant, Dignitatum ſeu Præpoſitorum illius Eccleſiæ, quæ meritò gloriari, & ſibi gratulari poteſt de talis viri Lipſanis, quo DEVS tanqvam aptiſſimo inſtrumento ad tam inſignia opera efficienda non eſt vti dedignatus.

CAP. XI.

MIRACVLA QVÆDAM EX SCRIPTIS in archiuo S. CRVCIS *aſſeruari ſolitis excerpta.*

VT vindicem maiores noſtros Carauacenſis ciuitatis indigenas ab omni ſuſpicione & nota negligentiæ, quam ijs quidam inurere conantur, quaſi magnum piaculum commiſerint, maleque de poſteritate ſint meriti, quòd hiſtoriam de apparitione S. CRVCIS à principio ſcribere ſuperſederint; volo ſtatim in huius capitis initio inter alia quoque miracula computare, quod oppidum hoc & arx, in qua S. CRVX eiusque archiuum conſeruatur, ſæpe conflagrarint per incendia, ſeu fortuita, ſeu barbarorum irruentium violentiâ & odio excitata, vt mirum ſit vel litteram ſuper-

ſupereſſe, veritatis & antiquitatis teſtem. Supereſt tamen in tabulario ſiue archiuo S. Crvcis exemplar fide dignę narrationis aliquot miraculorum, cui peruetuſta loquendi forma & ſimplicitas plus auctoritatis & æſtimationis conciliat, quàm fucata verborum affectatio. Ac licet à primis centum & ſeptemdecim annis miraculorum poſt ipſam apparitionem editorum nulla ſingularis extet memoria, dubitandum tamen non eſt plurima eſſe edita. Nam F. Ioannes Ægydius Zamorenſis eius apparitionem deſcribere exorſus ait, ſe famâ plurimorum miraculorum per S. Crvcem eo tempore patratorum excitum in hanc vrbem aduolaſſe. Quòd autem plurima patrata ſint ex eo quoque pronum eſt coniecturam ſumere, quòd Devs plerumque ad huiusmodi rerum ſacrarum approbationem initio ſoleat largiùs & copioſiùs ſuæ miſerationis fontes aperire, & quaſi torrentes effundere ſuorum beneficiorum. Hoc ipſum cernimus noſtris quoque temporibus vſu veniſſe apud imaginem Crucifixi Zalamenſis, apud Beatum Simonem ſacerdotem Valentinum, apud S. Carolum Borromæum Cardinalem, vbi tantam ſub initium miraculorum multitudinem accidiſſe nouimus, vt ne minima pars in litteras referri potuerit. Idem igitur iudicium formandum de S. Crvce, ſub cuius apparitionis principia nemo ambiget plura, Deo mirabiliter operante, contigiſſe, quàm per hiſtorias ſunt cognita.

Relatio ſeu narratio, de qua iam ſermo cœptus, nititur auctoritate & ſubſcriptione Alphonſi Ruizij publici & iurati Notarij Carauacenſis, multorumque teſtium exceptione maiorum, in qua recenſetur quòd tempore Garzi-Sanchez Meſiæ Commendatoris Carauacenſis anno Mcccxxxxviii. immane fuerit obortum incendium in ſacello & turri S. Crvcis, cuius ardore liquefacta cera per ianuam defluxerit tanta copia & altitudine, vt ad mediam viri tibiam pertingeret, flammæ autem aſcenderent ad turris ipſius crepidinem. In hac rerum deſperatione repertus eſt ex familiaribus Commendatoris vnus, qui inſigni pietate profeſſus eſt, ſe mortem non recuſare. Itaque per furentem & omnia latè depaſcentem ignem penetrauit, thecam cum S. Cruce in ea condita illæſam illæſus ipſe extulit, momentoque incendium per ſe extinctum eſt. Quis virum hunc non cenſeat dignum immortali

memoria

memoria,& cuius poſteri meritò glorientur,ſe talem nactos progenitorem? Cauſa quidem & auctor incendij ignoratur; credibile tamen eſt portendiſſe illud, communem peſtem, qua multa hominum millia in omnibus pæne orbis partibus fuerunt abſumpta, quam calamitatem & funeſtum exitium luctuoſo carmine deplorauit Petrarchà.

Deinde anno MCCCL. in quem incidit ſecunda mortalitas, vidit Petrus Aluarez Commendatoris officio functus, alijque viri nobiles & pietate præſtantes magnum cereorum ſplendorem emicare ex ſacello S. CRVCIS, & ſurrigi cœlum verſus. Quo portento viſus eſt DEVS apertè commonere ſuos,vt ad imminentem ſe cladem forti animo compararent.

Eiuſdem Commendatoris æuo Mauri equites excurrerunt ad Moratallam vsque infeſtis armis,interq; aliam innumerabilem prædam abduxerunt fœminam quoque vxorem Didaci Ægidij, quæ cùm captiua detineretur in oppido Velez, nocte quadam ſe religioſè & ſummo animi feruore commendauit S. CRVCI Carauacenſi. Secundum hanc commendationem, vi valida ianuam impulit,& ex vtroque cardine auulſit. Quæ nihil morata tranſiuit lectum,in quo herus eius ſomno oppreſſus decubuit,inuenitque aliam portam occluſam; qua facilè reſerata,domum Mauri alterius ingreſſa eſt, vbi arctæ cuſtodiæ mancipatus attinebatur Chriſtianus ei conſanguineus nomine Gonzalus Ferrerius. Hunc itaque inopinatò ſalutatum ſoluit ex cippo, & vterque ſe demiſerunt in terram ex pergulâ quâdam altiore. Quarto tandem die Carauacam incolumes peruenerunt, noctemque vnam peruigilem duxerunt in ſacello S. CRVCIS gratijs agendis intenti; & ad maiorem rei fidem compedes ibidem depoſuêre, quas attulit ſecum Chriſtianus captiuus. Quando Commendatoris munus adminiſtrauit Ægidius Rodriguez Nogueruolus, accidit quadam die vt magna populi multitudo conflueret ad ſupplicationis ſolemnis pompam cohoneſtandam,in qua tunc adoleſcens annos quatuordecim natus Ioannes Pereia, nunc ciuis Lorcenſis, CRVCEM ipſam pro more circumgeſtabat; cuius latera ſtipabant hinc Petrus Gartia Carauacenſis Notarius, illinc Ioannes Peretonus. Vbi ventum eſt ad templum D. Bartholomæo dicatum in eo-

dem oppido, Crux ſancta magnum intra capſam edidit fragorem. Et licet nemo ſciret quid ſtrepitus ille ſignificaret, vniuerſus tamen populus horrore & ſtupore defixus hærebat, cauſamque miraculi anxius inquirebat. Ineunt conſilium primores, vt Crvx portanda detur Ferdinando Ioannis Peretoni filio ætate minori. Sic agmen ſupplicantium proceſſit, rediјtque periodo abſoluta ad ſacellum; vbi aperto loculamento animaduerterunt argentum, quo S. Crvx erat circum oras veſtita, crepuiſſe, cuius ratio nulla quidem potuit inueniri, in eodem tamen loco, quo ſtrepitum audierunt, conſtructũ eſt templum parochiale, quod hodie quoq; perdurat.

Ille idem Ægidius Rodriguez Noguerolus Commendator in famulum & aſſeclam ignarus allegit hominem perditum & aleatorem inſignem, qui inter ludendum horrendas ſemper blaſphemias in S. Crvcem iactare ſolitus erat, adeò intemperanter, vt aliquando fuerit à Cacodæmone obſeſſus. Egredientibus quodam die Commendatore aliјsque viris primariјs è templo S. Mariæ, occurrit furibundus ille, & ex manibus Commendatoris baculum arundineum diripit, fugitque concito gradu ad turrim S. Crvcis; quem quidam propero curſu inſecuti vident iam perueniſſe ad vsq; turris fores nec ferreis nec ligneis clathris munitas; quas etſi magno impetu quaſſauerit, non potuit tamen vllo modo perrumpere aut aperire. Quare actus deſperatione ad mœnia cucurrit, indeque ſe præcipitem dedit, & ob blaſphemias animo ſimul & corpore miſerrimus periјt.

Duo iuuenes captiui Oſcæ in domo Ali-Alcizar, quorum alteri natale ſolum Ariona, alteri Mes, Carauacenſi Crvci obnixè ſe commendarunt. Preces vix finierant, & ruptis compedibus & ibi relictis, carcerem exierunt noctu, ignari per quam viam inceſſiſſent, aut quo modo euaſiſſent; altero tamen die læti ſacellũ S. Crvcis intrarunt, & grates liberatori Deo meritas perſoluerunt. Quæ hactenus recenſuimus euenerunt ab anno MCCCLX. vsque ad MCCCLXXI. quo tempore Caſtellæ regnum gubernauit Henricus hoc nomine II.

Æra MCCCCXIV. hoc eſt anno MCCCLXXVI. Carauacam ex voti obligatione acceſſit Alphonſus Martinus ciuis Hiſpalenſis diu

ſis diu luminis vſura priuatus vnà cum filio itineris duce, obtulitque in S. CRVCIS honorem amictum ſacerdotis ſericum, & argenteum calicem. Cumque in ſacello ſimul per noctem precibus vigiles inſiſterent, obdormiſcere cœpit circa auroram cæcus, erupitque ex oculis ſanguis, & priſtinam videndi facultatem recepit, præſentibus tum Commendatore, tum alijs viris miraculi teſtibus fide dignis.

Anno MCCCLXXXVII. Gomezio de Soto Commendatoris magiſtratum gerente ante annos plus minus XIV. Paganus Rodriguez ciuis Murcienſis miſit argenteam lampadem inuolutam linteo, quo filij ſui demortui corpus fuerat inuolutum, quem S. CRVCI triſtis pater hoc munuſculo voluit commendatum. Et ecce dum donum euoluitur, euolutumque offertur, iuuenis domi ad vitam reuocatur, & lampas, quæ priùs in ſacello ſuccenſa pendebat, per ſe ipſam acceſſit ad recens allatam, deque oleo ſuo in eam aliquantulum effudit, & ſic vtraque ardens iucundum præbuit intuentibus & rei nouitate attonitis ſpectaculum. Huic autem interfuerunt præter alios magnæ auctoritatis viros Vaſcus Ferdinandez Carauacenſis gubernator, & Petrus Gomeſius ibidem Notarius.

Anno MCCCLXXXII. tanta multitudo locuſtarum circa oppidum Lorcæ occupauit agros, vt quaſi tempeſtas non modò ſegetes vaſtarit, ſed folia & fructus arborum deuorauerit. Et quia ciues & incolæ huic malo nullum inuenerunt remedium, miſêre Carauacam, populi totius nomine, Petrũ Diazium Cordubensem, Petrum Ioannem Palentinum, & Ioannem Cotualam, vt ſecum afferrent quippiam aquæ, cui CRVX fuiſſet immerſa. Attulerunt, vt erant iuſſi, aquam CRVCIS immerſione ſacratam, eaque hortos & agros conſperſerunt, ex quibus intra triduum noxiorum animalculorum examina diſparuerunt. Hæc continet prædicta narratio. Fuiſſe autem alia quoq; monumenta in archiuo combuſta indicio eſt teſtimonium ſenatus Carauacenſis datum anno MCCCCIIJ. contra eos, qui petebant ſibi probari ex inſtrumentis publicis nobilitatem maiorum ſuorum. Reſpondit enim ſenatus de nobilitate ſatis aliunde conſtare, inſtrumenta autem publi-

Digitized by Google

ca, quæ in archiuo cuſtodiebantur, vnà cum toto oppido à Mauris exuſta tempore Petri Lopezij Faxardi.

CAPVT XII.

MISSVS A TOLETANA ECCLESIA ſacerdos S. Crvcem *abſtulit, quæ tamen miraculo reſtituta eſt.*

CAraucenſes quaſi in matrem ſibi aſciuerunt S. Crvcem, agnoueruntque ſemper & deprædicarunt cum grati animi ſignificatione beneficia à Deo per ipſam ſibi præſtita. Vnde quicquid honoris, quicquid obſequij, quicquid curæ & diligentiæ excogitare potuerunt, ad hanc ornandam & colendam contulêre. Et ideo ad eam tutò conſeruandam communi conſilio decreuerunt vt ſemper vir aliquis, cuius fides minimè ſuſpecta, in ſacello peruigilaret & excubias ageret; quia illis temporibus Mauri regni Granatenſis incolæ, in propinquo erant, & Carauacenſes perpetuò in armis eſſe oportebat, tum ad oppidi ipſius defenſionem, tum ad Crvcis ſanctiſſimæ cuſtodiam; quæ tanquam mater fidiſſima filiorum ſuorum vigilantiam compenſauit vigilantia accuratiore. Quoties enim grauius Reip. periculum impendebat, toties ſigno quodam expreſſo ſuos præmonebat, vt cauerent, ideoque eam ſemper thecæ incluſam ſuper altare collocabant, certi quòd Mauros regionem incurſaturos, intra capſam edito ſonitu, proderet; quo audito ille, cui vigilandi munus ordine per vices redeunte incumbit, confeſtim ære campano ciues exciebat, vt tempeſtiuè Mauris occurrerent, & imparatos adorirentur. Ex quo factum vt Mauri plerunque ſua ſpe fruſtrati, & ſæpè etiam cum magna ſuorum iactura domum reuerti cogerentur. Illudque animaduerſum eſt non rarò, quòd Carauacenſes vel iam eſſent in itinere, vel cum hoſtibus iam congrederentur, quando exploratores, eorum aduentum per fumum in ſpeculis ad duo vel tria milliaria ab oppido diſpoſitis ſignificabant. Cuius rei cauſam quia Mauri curioſiùs indagabant, non pauci ex prudentioribus, à Mahomete abducti, & ad Chriſtum adducti ſunt.

Toletana igitur Eccleſia, vt ab antiquis traditum accepimus, ſuperuacaneo quidem, ſed pio quodam metu impulſa magnum adhibuit

adhibuit ſtudium & induſtriam, vt S. CRVCEM in ſuam ciuitatem, veluti locum tutiorem, transferre poſſet, ne in poteſtatem Maurorum aliquando deueniret, qui frequentibus excurſionibus Carauacam regno Granatenſi confinem infeſtabant.

Cùm ſæpiùs itaque conſilij ſui rationem Carauacenſis Eccleſiæ ſacerdotibus & ſenatui expoſuiſſent, votique nunquam fieri potuiſſent compotes, ſtatuerunt per occultas machinationes eam ſibi vendicare. Quem in finem tempore Cardinalis Franciſci Ximenij Ciſnerij, vt creditur, miſſus eſt Carauacam ſacerdos, vir humanitate & morum ſuauitate amabilis, qui ſe dextrè in clericorum cœtum inſinuaret, omnemque captaret occaſionem S. CRVCEM clanculùm auferendi, & per anfractus, viasque obliquas Toletum deferendi. Nec defuit partibus ſuis ſacerdos, receptusque eſt facili negotio propter modeſtiam & maturam grauitatem in numerum clericorum, adeoque probauit omnibus honeſtam viuendi conſuetudinem, vt breui ei fuerit cura ſacrarij eccleſiæ parochialis in hoc oppido credita, & poſt paulum etiam ipſius ſacelli S. CRVCIS adminiſtratio. Labuntur interim ſex anni, & ille ſacriſtani munus eò diligentius obit, quò magis exſpectat in dies opportunitatem ſui deſiderij explendi, quam tandem hac ratione nactus eſt.

Nocte quadam Alphonſo Santiez Carauacenſi ciui, viro aliàs honorato & fidiſſimo peruigilandum fuit in ſacello S. CRVCIS, non ſolùm vt theſaurum cuſtodiret ex more, ſed vt attenderet an ſtrepitus intra capſam audiretur. Compulſus ille corporis neceſſitate, deſeruit ſtationem, & in ſuum locum ſacerdotem Toletanum ſubſtituit, rogauitque maximè obſeruaret ſtrepitum, ſi quis intra hierothecam aures percelleret. Promiſit ſacerdos liberaliter; ſed tantùm promiſit. nam diu optata occaſione tandem potitus, S. CRVCEM ab altari diripit, in peram paſtoritiam recondit, feſtinus ex arce & oppido profugit, & viam Almonazim verſus legit. Huc vbi peruentum, ille gaudio geſtiens capſam aperire occupat, nihilque aliud inuenit, quàm ſcripta quædam & teſtimonia de S. CRVCIS apparitione, & miraculis, quæ tamen poſtea nunquam reſtituta. Prædictus igitur Alphonſus Santiez ad ſacellum iteratò regreſſus ſtatim notat pignus nobiliſſimum fur-

 to auer-

to auerſum, vehementerque perturbatus populo triſtem caſum exponit. Vbi ſacerdotem nusquam comparere conſpiciunt, ſibi facilè perſuadent illum ſacrilegij auctorem. Itaque mora nulla, expediunt equites & pedites, qui itinera omnia obſideant, & vbi vbi deprehenſum Carauacam retrahant. Fruſtra ſuſceptus in quærendo labor; reperiri non potuit. Dum itaque populus hoc infortunio mactatus, lamentis & querelis indulget, ecce ſummo mane vir quidam non abiectæ conditionis, incola Moratallenſis, accurrit, qui ait ſe vidiſſe S. Crvcem inter duas faces ardentes in ſublimi collis vertice vulgò *delas cruces* appellati, quod nomen ab hoc euentu inditum conſtanter retinet, eoque loco cœnobium Franciſcanorum eſt conditum. Exhilaratus tam fauſto nuntio populus, omnibus negotijs poſthabitis confluxit, & inſtituta ſupplicatione ad demonſtratum à ciue Moratallenſi collem profecti ſumma cum veneratione & gratulatione S. Crvcem in ſacellum arcis Carauacenſis reportarunt. In ipſo autem colle, vbi Crvx conſtitit, fons erupit, qui non priùs fluere deſtitit, quam ob neſcio quod piaculum ibi admiſſum vena exaruit.

Senatus porro Carauacenſis memor indignitatis & iniuriæ litem intendit Capitulo Eccleſiæ Toletanæ, tum propter S. Crvcem fraude interceptam, tum propter ſcripta & monumenta à ſacerdote ſibi erepta; ne tamen fateri cogeretur, quòd ſuo iuſſu patratum, reddere nunquam conſenſit. Et quamuis in hac controuerſia definienda multùm laborarit Ferdinandus Lopezius ſacerdos Carauacenſis, vir inſigni pietate conſpicuus, & B. Virginis, quæ infantulo apparuit, & S. Crvcis, quam bonorum ſuorum ex aſſe hæredem inſtituit, cultui valde addictus; ſpem tamen indubitatæ victoriæ intercîdit mors Præſidis regij conſilij. Idem nihilominus Ferdinandus, cùm ſanctæ inquiſitionis ageret miniſtrum in ciuitate Murcienſi, ab ipſomet Inquiſitionis magiſtratu Carauacam miſſus fuit anno MDXLIIX. vt à viris ſenio & auctoritate grauibus, vera documenta ſumeret de apparitione S. Crvcis, & miraculis per eam factis, ſimulq; intelligeret, quo tempore, quóue modo ſcripta & teſtimonia per ſacerdotem ſubtracta ſint. Me itaque vrgente, idem Ferdinandus Lopezius tum nonagenarius, de vtroque capite publicas curauit dari litteras per Notarium legitimum,

Digitized by Google

mum, conuenienter ijs, quæ hîc & ſuperiùs commemorauimus.

CAPVT XIII.

IN CIVITATE BAEZA PER S. CRVCEM Carauacenſem editur miraculum.

ABEN-MAHOMAT ſuopte nutu arcem Baëzenſem Ferdinando regi Caſtellæ donauit. Quamobrem ſuſpicati Mauri eius ciuitatis incolæ, hominem in Chriſtianam religionem propendere, eum occiderunt, anno MCCXXV. cuius filius ei cognominis, non immeritò, ne idem ſibi quòd parenti, contingeret, veritus, ad aulam Ferdinandi regis ſe contulit; vbi Chriſtiana fide ſuſcepta, Ferdinandi nomen in Baptiſmo aſſumpſit; cuius familia etiam hodie in Bœtica illuſtris propagatur. Ex interitu igitur Regis, & abſentia filij, occaſionem arripuerunt Mauri obſidendi arcem, quæ in poteſtate Ferdinandi regis Caſtellæ, cuius nomine præſidebat ei Gonzalus Iagnes de Noboa Ordinis Calatrauæ Magiſter, quam ſtrenuè & fortiter ad tempus propugnabat. Verùm quia præſidiarij nihil minùs quàm periculum à Mauris expectabant, & cum occiſo Rege & filio diuturnam amicitiam colebant, non erant ſolliciti de annona in futurum comparanda, de munitionibus vel extruendis, vel reficiendis, deque rebus neceſſarijs ad defenſionem tempeſtiuè procurandis. Itaque ſpe obſidionis tolerandæ depoſitâ, conſilium ceperunt arcem deſerendi, & Maurorũ violentiam euadendi. Quod vt occultiùs fieret, curarunt equorũ vngulas inuerſis ſoleis indui, vt Mauri ex retrogradis veſtigijs deſinerent eos perſequi, & ſimul opinarentur aliunde miſſum ſubſidium. Quamobrem nocte proxima per poſticum egreſſi, arcem hominibus vacuam reliquerunt. Vix dimidiatum milliare emenſi, retorſerunt oculos ad arcem, videruntque ſuper portam principem, crucem quandam mirè coruſcantem, nec tamen propter ſpatium æquo longius, formam eius potuerunt diſcernere. Hoc cœleſti prodigio ſtupefacti damnarunt conſilium de ſuo diſceſſu; quod vt meliore corrigerent, ſtatuerunt reuerti. Equis ergo more vſitato calceatis, inuaſerunt prædium quoddam Maurorũ, aſportatoq;

Digitized by Google

tatoque ſecum commeatu, eadem nocte ante diluculum in arcem poſtliminio redierunt. Nec diu cunctandum rati, per nuntium regem Ferdinandum de obſidione fecerunt certiorem. Excubitores autem & exploratores Maurorum trepidè monuerunt, ſe vidiſſe multos equitum globos in arcem introductos, & magnam alimentorum copiam illatam. Mauri dictis eò faciliùs accommodarunt fidem, quòd aduerſa equorum veſtigia & plurimos vndique tranſiſſe notarent, quòd ſimulque vererentur ex inſidijs erupturos vt maius damnum inferrent, ſancta nimirum Crvce ſuam vim exerente, & metum hoſtibus incutiente. Quare ablatis, quæ ſecum quisque ex ſuppellectili auferre potuit, cum magna celeritate & trepidatione ciuitatem illa die penitus deſeruerunt, Vbedamque ſe recepêre. Poſtera verò luce, vbi ſe deceptos circa auxiliares Chriſtianorum manipulos aduerterunt, Baëzam regreſſi multis machinamentis excogitatis arcem tentarunt oppugnare, quàm tamen dictus Ordinis Calatrauæ Magiſter tamdiu in poteſtate regis tenuit, donec in ſubſidium ex Caſtella aduenit Iacobus Lopez de Haro, cum quingentorum peditum manu, quos Rex Ferdinandus ei attribuit, arcemque ſunt ingreſſi nullo reſiſtente, in feſto S. Andreæ, anno MCCXXXI. Hi ſtatim altero ab introitu die in hoſtes malè tum paratos, & nimia ſecuritate torpentes impetum ex arce fecerunt, quos partim trucidarunt, partim in fugam actos Vbedam remeare compulerunt. Rex Ferdinandus hac victoria lætus ciuitatem Baëzam à Chriſtianis tantùm incoli voluit, publicisque litteris vndique inuitauit habitatores, quibus liberam dedit poteſtatem diuidendi Maurorum expulſorum agros & prædia inter ſe, aliasque immunitates conceſſit. Confluxit breui varijs è locis magna ciuium multitudo, & inter deliberationes hæc fuit prima conſultatio, quibus inſignibus ciuitas, & ſigillo ſenatus, in poſterum vti deberet. Vicit eorum ſententia, qui ſublatis in altum oculis viderunt inter duas arcis turres quandam Crucem Carauacenſi ſimilem, miro ſplendore radiantem, in æquore ſeu campo rubeo & ſub ea duas claues. Ex quo apparet Carauacam & Baëzam veluti ſorores germanas, quod attinet ad digmata, in quibus principem locum tenet Crvx Carauacenſis, claues autem illi ſubſtratæ denotant voluiſſe Devm oſtendere illis duobus oppidis, regno Gra-

natæ

natæ conterminis, S. CRVCEM fore munimentum & propugnaculum hoſtibus fidei nulla vi reſerandum. quod euentus paulò pòſt docuit. Nam ex vna parte Chriſtiani quatuor ciuitates celebres occuparunt, Iaen, Vbedam, Cordubam & Hiſpalim: ex altera, licet ſeriùs, Granatam, totumque illud regnum ſuæ ditioni adiecerunt. Notandum etiam S. Veram CRVCEM Carauacenſem ab autoribus frequenter, breuitatis cauſa, tantùm *Crucem miraculi*, vel *Crucem miraculoſam* vocari.

CAPVT XIV.

MIRACVLA ALIA S. CRVCIS CARAVACENSIS beneficio patrata.

ANNO MCCCCXXX. Mauri ex regno Granatenſi pacti ſunt cum quodam ciue Carauacenſi, cuius nomen non exprimitur, ne in poſterorum dedecus vergat, vt acceptis muneribus oppidum eis ſine tumultu traderet. Conſenſit miſer, diem & modũ præſcripſit, & iam res inibi erat, vt vrbs inuaderetur. CRVX tamen voluntate numinis præuertit exitium, maioreſque ſolito intra thecam edidit pulſationes. Nec mirum; proditio enim matris à filio facta longè grauius crimen eſt, quàm reliqua cuiuſcunque generis. Populus itaque ſignis conſuetis per vigiles & ſpeculatores admonitus, confeſtim arma corripuit. Iam hoſtes vrbi propinquabant, feria VI. ſanctioris hebdomadæ, quæ fuit quarta Aprilis, cùm, haud dubiũ à proditore, edocentur ciues eſſe ad arma vocatos, & ad reſiſtendũ quàm optimè inſtructos. Mauri igitur vlterius progreſſi, ad pagum Campoloy peruenerunt, inueneruntque puerum annorum tredecim Gineſium, filium Iacobi de Fuen-Salida, proaui mei, quem eius gregis cuſtos inter dumeta abſconditum reliquerat, vt ipſe commodiùs in collem quendam præcelſum fugiendo manus hoſtiles euaderet. Sed dum vnus ex Mauris illuc tranſit, equus repentino terrore conſternatur. Seſſor, vt cauſam exploret, oculis luſtrat omnia, circumſpicit, videtq; puerum, & ſepties haſta grauiter vulnerat: quam barbaram crudelitatem ipſimet Mauri, vt poſtea intellectum eſt, improbarunt. Paſtor vbi equites præteruectos de colle proſpectat, deſcendit, quærit puerũ,

Digitized by Google

& inuenit eum iam cum morte quaſi colluctantem; quoquo tamen modo in humeros leuatum reportat in domum herilem. Parentes eum ſtatim deuouent ſanctiſſimæ Crvci, ſpondentque eum in Eccleſiaſtico ordine Deo militaturum, ſi ſanitati reſtituatur. Reſtitutus igitur præter hominum opinionem, & applicatus litterarum ſtudijs, tantùm profecit, vt in ſacerdotum cenſum ſit relatus, & adſcriptus Ordini S. Iacobi in conuentu de Veles, vbi etiam viuebat quidam eius patruus Alphonſus de Fuen-Salida. Temporis decurſu idem Gineſius parœciam adminiſtrauit in oppido Moratalla, ætatemque produxit vltrà centum & quindecim annos. Anno enim MDXL. adhuc ſuperſtitem, ſuperſtites etiamnum multi nouerunt, tam Moratallæ quàm Carauacæ.

Vt ad Mauros ſpe ſua deluſos reuertamur, hi die Paſchatis, ſexta ſcilicet Aprilis, oppidum Ciezæ ſubito aduentu obruerunt, diripuerunt, ignem ædibus iniecerunt, Chriſtianoſque captiuos abduxerunt, & ſpolijs onuſti reditum pararunt. Sed innotuit factum Carauacenſibus, & per Carauacenſes Lorcenſibus, qui iuncto agmine prædatoribus obuiam exierunt, præliumque atrox commiſerunt dubio Marte, quia Mauri multitudine ſuperiores. At Chriſtiani in hoc periculo memores Crvcis Carauacenſis, quam illic apparuiſſe vetus traditio habet, auxilium eius ſupplicibus votis implorant, tantaque contentione in denſas Maurorum acies incurrunt, vt partem ceciderint, partem in fugam verterint, captiuis & ſpolijs relictis. Quis hîc non cognoſcat præſentem Dei opem, quam per Crvcem ſuis cultoribus impendit, vireſque cœlitus immiſit?

Anno MCDXXXII. ſe ſtitit Carauacæ religioſus quidam ex monaſterio S. Franciſci Obedano, cui grauis ægritudo facultatem audiendi & loquendi ademerat. Deduxit eum mater ex materna commiſeratione ad ſacellum S. Crvcis, Devmq; precibus infimis ſollicitauit, vt filio vſuram ſenſuum priſtinam redhibere dignaretur. Vix orandi finem fecit, & ille loqui & audire potuit ſine impedimento.

Anno MCDLXXIV. Commendator Carauacenſis Ioannes de Haro, faſſus eſt coram Petro Fernandez Botia, oppidi Iudice ordinario, ſe ſacellum aliquando ingreſſum vt precibus ad altare

S. Crvcis

S. CRVCIS fundendis operam daret, quibus dum attentiùs inſtat, caſu aduertit lampadem penſilem extinctam. Iubet igitur famulos lumen adferre, & venerationis ergo accendere. Sed antequam quiſquam manum lampadi admouet, videt eam per ſe accenſam ardere, & clariſſimo lumine exſplendeſcere. Teſtes oculati fuerunt multi huius miraculi, & DEVM venerati in voces laudis & admirationis eruperunt. Quis ex hoc non manifeſtè colligat cœleſtes genios, huic ſancto theſauro ad perpetuam cuſtodiam aſſiſtere, & gloriari quòd quaſi Sacriſtanorum officio fungantur, accendant, foueant lampades, & viliſſima in ſpeciem miniſteria obeant? Nihil enim arbitrantur ſua dignitate indignum, cùm conſiderant hanc CRVCEM eſſe partem CRVCIS, in qua noſter & eorum Dominus pendere & exſpirare non abhorruerit.

CAP. XV.

S. CRVX A MORTIS PERICVLO MAVRVM, ſimulq́ Chriſtianum captiuum eripit.

TAM latè patent beneficia, quæ clementiſſimus DEVS per S. CRVCEM hominibus elargitur, vt non modò ad Chriſtianos, & in matris Eccleſiæ gremio enutritos, verùm etiam ad alienos & à fide noſtrà extorres ſeſe extendant. Poſſem huius generis plura in medium adferre exempla, ſed, omnibus prætermiſſis, vnum ſeligam illuſtrius, cuius teſtimonium in archiuo continetur. Die quadam Dominica, quæ fuit x. Octobris, anni MCCCCLXXII. Carauacam venit Alphonſus de Morote, ab oppido Morote ſic cognominatus, ſecumq́ue adduxit Maurum quendam Benalique appellatum, & nullis vinculis conſtrictum, alter autem, Chriſtianus ſcilicet, geminas compedes ferreas ſexaginta pondo geſtabat; qui ſolemni iuramento confirmauit ſe fuiſſe in ciuitate Baza captiuum cuiuſdam Mauri Salin-Abendega. Dum autem die quadam mœſtus & anxius iaceret, audijt illum ſuſpiria ex imis præcordijs trahentem Maurus Benalique, & rogauit cur ingemiſceret? ad quem Alphonſus: Quid ni, ait, gemitu conteſter meum infortunium? Captiuum me vides; ad libertatem & patriam ſuſpiro. Eſto, inquit Maurus, tenax ſilentij Alphonſe, & ſecretum auribus tuis com-

Digitized by Google

mittam. Poſtquam famâ ad me perlatum CRVCEM Carauacenſem tot miraculis coruſcare, ego ſemper animum ſenſi ad fidem Chriſtianam inclinare. Quia igitur noſti curam mihi captiuorum Chriſtianorum concreditam, age ſi vis, & ſi de via non dubitas, commendemus nos DEO, & S. CRVCI, & vbi Carauacam incolumes peruenerimus, ſtatim me ad veſtram religionem aggregabo. Quare circa veſpertinum crepuſculum conſcendemus vterque iumentum, & abitum maturabimus. Quærentibus verò quorſum tendamus, reſpondebimus ad vineas nos properare, vt inde ſarmenta præciſa auferamus. Hora itaque præſtituta, DEO, Virgine Matre & S. CRVCE in auxilium piè vocatis, in viam ſe dederunt feria ſexta ſub veſperum. Iter proſequentibus nox ſuperuenit, & à via propter tenebras aberrârunt. Et, quod auxit timorem, audierunt in ciuitate tympanorum & tibiarum ſonitum. Suſpicati ergo rumorem excitari ob diſceſſum clandeſtinum, & turbam inſequentium iam in propinquo eſſe non temerè opinati, in campo deuio, vbi ſubſtiterant, flexis poplitibus orientem verſus preces ingeminarunt, DEOq; per benigniſſimam Virginem Mariam, cuius imago Guadalupæ colitur, & ſanctiſſimam CRVCEM Carauacenſem ſupplicarunt, ne pateretur eos ad hoſtes fidei crudelem in modum retrahi, ſed ad portum ſalutis clementer deduceret. Inter has precationes viſi ſunt ſibi videre ſpeciem & figuram ciuitatis Carauacenſis & arcis, quaſi ad ſagittæ iactum abiunctæ. Tunc alter ad alterum: Eamus, inquit, citò ad hoc oppidum. Ad quod cùm appropinquarent, euanuit illud qualecunque oculorum ludibrium. Statim tamen deprehenderunt ſe in viam regiam traductos, in qua proceſſerunt ad ortum vsque ſolis. Per diem Sabbati latuerunt in campo, noctem cœpto itineri impenderunt, & ſummo manè die Dominica ſunt vrbem deſideratam ingreſſi, vbi confeſtim Ioannes de Haro Commendator Carauacenſis iuſſit Alphonſo demi compedes, quarum alteras repoſuit in ſacello S. CRVCIS, alteras miſit ad templum Guadalupenſe; ſic enim voto ſe facturum obſtrinxerat. Maurus autem ille ſtetit promiſſis, & in baptiſmo ſibi volens nomen aſciuit Ioannis de Vera Cruce.

Hoc vno miraculo videntur plura quaſi vno faſce colligari. Primùm enim de via exerrauerunt, ne à perquiſitoribus inuenti reuocaren-

vocaren-

Digitized by Google

vocarentur. Deinde mirabili cœlitum virtute obiecta eſt eorum luminibus effigies ciuitatis Carauacenſis velut in proximo ſitæ. Ad hæc duabus tantùm noctibus confecerunt vnum & viginti milliaria, quibus Baëza diſtat à Carauaca. Demum recto itinere perrexerunt, vt neque Oſcam, neque alium Mauris locum ſubiectum attigerint. Sed nouum cenſeri non debet, quòd S. CRVX opitulata ſit homini myſterijs fidei necdum imbuto, cùm vel per ſignum CRVCIS gentiles, hæreticos, & apoſtatas adiutos legamus. Gregorius enim Nazianzenus Orat. I. contra Iulianum, refert, quòd ſceleſtus ille Imperator ab ariolo in fanum ſimulacrorum, & intra eius adyta ſiue ſpecum ſit deductus, animo conſulendi Dæmones ſuper futuro ſtatu, qui apparuerint horrenda ſpecie; Iulianum autem horrore & formidine nimia exanimatum ad Crucem confugiſſe, eaque ſe aduerſus terrores conſignâſſe. Valuit ſignaculum, cedunt Dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Reuiuiſcit malum; rurſus ad audaciam redit, rurſus aggreditur, rurſus ijdem terrores vrgent, rurſus obiecto ſignaculo Dæmones conquieſcunt, perplexuſque hæret diſcipulus, non tamen vitam in melius emendat, Idem ſcribit Cardinalis Hoſius de fide, c. 10. & Sozomenus lib. 2. c. 1. hiſt. eccleſ.

Biennio pòſt paulò antè narratum miraculum, contigit & aliud non minùs memoria dignum, Commendatore eodem D. Iohanne de Haro. Die enim tertia Maij inuentioni S. CRVCIS ſacra, Anno MCDLXXIV. coram Petro Fernando iudice ordinario Carauacæ, præſente ſcriba regio Franciſco de Salas, & teſtibus fidedignis, Laurentius de Viconouo ciuis Baëzenſis; ſolemni priùs præſtito iuramento, atteſtatus eſt, cùm nocte decimo quinto Martij eiusdem anni, apud S. CRVCEM vigilias ageret, ipſam S. CRVCEM aliquoties in ſua theca clarè pulſaſſe, quare permotum ſe etiam ſequentibus aliquot noctibus ibidem peruigilaſſe, tandemq; non ſe ſolùm duntaxat, ſed & cum alijs, nec non & alios in ſua abſentia ſingulis noctibus ſimiles pulſationes exaudiſſe, donec nuncius à D. Lope Vasques de Acunia, præfecto Cazorlæ litteras adferret, quibus D. Commendatorem monebat, vt ſibi & oppido caueret, conſtare enim ſibi, Mauris Granatenſibus cum quibuſdam

proditoribus pecunia corruptis conueniſſe, vt illud ſibi tradant; poſt aduentum huius nuntij ceſsâſſe illos pulſus.

CAPVT XVI.

PLVRA EIVSDEM S. CRVCIS miracula.

QVo tempore Commendatoris Carauacenſis officio præfuit Ioannes de Haro, inſtrumentum publicum confectum, & auctoritate teſtium fidiſſimorum roboratum eſt, 8. Maij anno MCCCCLXXIII. in quo id, quod ſequitur, ipſius iureiurando confirmatum reperimus cui contigit. Nobilis vir Petrus de Alarcon Commendator Membrillæ de Tocon, Ordinis S. Iacobi, captiuus detinebatur apud Mauros in oppido Velez Albo, regni Granatenſis, in antrum quoddam vel ergaſtulum ſubterraneum detruſus, & ferreis catenis quinquaginta librarum alligatus. In hac ſpelunca tres menſes inter alios quoque Chriſtianos vinctus exegit. Nulla ſpes affulgebat eluctandi, niſi antrum perfoderent, & per cuniculos erumperent. Placuit conſilium. Et licet ſpecus eſſet profunda & propter ſoliditatem difficilis perforatu, fiduciam tamen collocant in CHRISTVM, caſtiſſimam eius Matrem, & ſanctiſſimam CRVCEM Carauacenſem, voto nuncupato, quòd nudis pedibus à Xiquena, qui locus Carauaca nouem milliaribus eſt diſſitus, & à Mauris vndique inſeſſus, ſint ituri Carauacam, ibique nouem dies in ſacello S. CRVCIS exacturi, pauperesque largis eleemoſynis recreaturi. Cœperunt igitur pugione quodam, (aliud enim inſtrumentum non erat in promptu) antrum perforare, & ſpatio dierum octo rem arduam eò deduxerunt; vt hiatum 24. pedes altum aperuerint, quod ſine miraculo fieri potuiſſe nullus exiſtimabit, qui cuſtodes die noctuque attendiſſe, & diligenter advigilaſſe perpenderit. Si quando Mauri, vt ſcrutarentur omnia, antrum ingrediebantur, Chriſtiani foramen obtegebant culcitris & ſtragulis, ne fraus notaretur, adiungebant malleos in crucis formam compoſitos, quibus vtebantur cuſtodes ad laxandos vel aſtringendos vinculorum nodos. Hac induſtria excæcarunt eos quamuis Argo aliâs oculatiores, DEO inprimis conniuente, & efficiente, vt nihil

ſiniſtri

Digitized by Google

ſiniſtri de captiuis ſuſpicarentur. Euolutis igitur diebus octo, conati ſunt inſtrumentis quibusdam numellas, manicas, compedes confringere. Cui operi dum ſtrenuè inſudant, Commendator, qui iam dimidiam vinculorum partem diſſecuerat, ex antro iuſſus prodire, vocatur ad colloquium de ſua liberatione. Qui etſi bis eodem die coactus ſit laborem interrumpere, & carceris præfecto ſe ſiſtere; ita tamen DEVS vinxit Maurorum oculos, vt nihil viderint eorum, quæ Chriſtiani moliebantur. Reuerſus Commendator ad ſpecum tantum comperit laborando profeciſſe captiuos, vt à compedibus expediti nihil niſi abitum expectarent. Quare ſub primam noctis horam iterum ad preces conuerſi vota CHRISTO, eius Matri, & S. CRVCI facta inſtaurarunt. Commendator verò arrepta in manum cruce, quam in antro piè venerabatur, nudipes ipſe, nudipedum & ſitu in ſupplicationibus conſueto incedentium agmen duxit, hymno TE DEVM LAVDAMVS, inchoato & inter eundum abſoluto. Excauatus autem trames ſiue meatus ſubterraneus, deſijt in officina quadam ferraria, cuius ſeram ex parte interiore diffregerunt, ac duobus ianuæ aſſeribus auulſis ad plateam ipſam proceſſerunt, perrexeruntque verſus portam ciuitatis.

In quo itinere occurrerunt ipſis Mauricæ mulieres ex balneis redeuntes accenſis funalibus; quæ viſo hoc ſpectaculo, maritos & vicinos vocibus inconditis exciuerunt. Nec propterea ordinem deſeruêre Chriſtiani, ſed ad portam usq; ciuitatis peruenerunt, vbi eos vigiles horrendis clamoribus exagitarunt, lapidibusq; impetierunt. At ne ſic quidem animum deſponderunt; imò audaciores, portarum obices perrumpere conati ſunt. Verùm vbi conatum fefellit euentus, vnus ex eorum numero in murum ex altera parte conſcendit quindecim pedes altum, ex quo deſilijt in terram; cuius exemplum Commendator, alijque intrepidè imitati, viam tenuerunt, quamuis locorum ignari, Xiquenam verſus. Mauri Velezenſes fugitiuos inſequuntur, & aſſequuntur quattuor ex ijs, eò quòd ferro ita eſſent onuſti, vt expeditè fugere nō poſſent, quos ad priſtinam ſeruitutem ſummâ immanitate reducunt. Cōmendator verò & reliqui tres ad ciuitatem Xiquenam contendunt, quos licet Mauri præterierint, miraculo tamen non caret, quòd minimè agnouerint. Quamobrem auxilio, CHRISTI Domini, & Matris

eius

Digitized by Google

eius deprecatione, huiusque ſanctiſſimæ Crvcis virtute Xiquenam, & inde Carauacam ad exſoluenda vota læti peruenerunt.

Eodem anno MCDLXXIII. Martinus de Baëza Arionenſis in ciuitate Baza captiuus diſtinebatur in domo cuiusdam Mauri Cad-Albarroz. Hic moleſtiam ergaſtuli diutinam pertæſus anhelabat omnibus modis ad libertatem; quia tamen humana ſubſidia deficiebant, ad Devm, beatiſſimam Virginem Guadalupenſem, & ſanctiſſimam Crvcem Carauacenſem animo conuerſus, cœpit aſtrigmenta ferrea limâ vel ſimili inſtrumento, quod ſors obtulit, ſecare. Continuato per biduum labore tantum effecit, vt vincula fracta deciderint, & ipſe iam liber, Deo vota ſecundante, carcerem euaſerit. Vix euaſit & profectionem ad Chriſtianorum terras, quamuis itineris imperitus, inſtituit; cùm ecce perquiſitores fugientes tergo inhærent. Quid faciat in ancipiti periculo? ſe dedat vltrò, an ad reſiſtendum ſe paret? At ſolus eſt contra multos & armis nudatus. Agit tamen quod mens, aut bonus genius ſuggerit. Inclinat ſe, lapidem tollit, vt in perſequentes iaciat, & omnes ita dilabuntur, aut potiùs euaneſcunt, vt ne vnum ex ijs viderit in poſterum. Recta igitur via, à qua nec volens potuiſſet deflectere, pergit Xiquenam, inde ad ſacellum S. Crvcis Carauacenſis, vbi lapidem, quem adhuc manu tenebat, in ſignum & monimentum tanti miraculi depoſuit, liberatorem Devm meritò veneratus.

Sub idem tempus F. Antonius de Poza, Vicarius Carauacenſis, iureiurando per ſacros ordines præſtito affirmauit ſe conſpexiſſe puerum vnius anni, filiolum Bartholomæi Sanchez, quem mater Catharina Truxilla graui gutturis tumore laborantem & iam iam, vti videbatur, ſuffocandum ad ſacellum S. Crvcis deportauit, vnà cum vaſculo olei, quod in lampadem infundere cogitârat. Puerulum miſerati Vicarius, & F. Gonzalus ſacellanus, qui caſu tum ibi erant, mœſtam parentem commonent, vt filioli guttur oleo ex accenſa lampade ſumpto inungat. Paret, & infans, momento citiùs, lumbricum bicipitem reijcit ex ore, ſuauiterque balbutire incipit; quem mater domum ſuam reportatum ter inunxit oleo, quod ſecum ex lampade ſacelli abſtulit, gutturque infantis penitus detumuit, lumbricis quinque ex ore iterum egeſtis.

Anno MCDLXXXIIX. cùm partes Commendatoris obiret

Petrus

Digitized by Google

Petrus Faxardus præſes regni Murcienſis, ac dominus ciuitatis Carthaginenſis, ſexto die Decembris faber lignarius circa trabes accommodandas pro ſacello S. CRVCIS occupatus, decidit ex muro 36. pedes alto, in rupes ſubiectas; qui in ipſo caſu S. CRVCI ſe flebili voce commendauit, & pro eo fecerunt idem, qui euentum ſpectarunt. Conclamatum omnes putabant de ipſius vita, quia thoracem, cingulum, tunicam infimam, tibialia, quin & calceos diſcerptos ac diſciſſos intuebantur; ipſe tamen ſaluus & incolumis è ſolo ſurrexit, ad laboremque alacer & vegetus redijt.

Anno MCDLXXXIIX. cùm Catholici Reges Ferdinandus & Iſabella Bazam obſiderent, & multis difficultatibus obſidio diutiùs ipſorum ſpe protraheretur, votum nuncuparunt inuiſendæ S. CRVCIS Carauacenſis. Itaque IV. Decembris die S. BARBARÆ ſacra, Baza capta. Cùm verò ab ea recederent Murciam redituri, Carauacam adierunt voti ſoluendi gratia, lampade argentea illic relicta, quæ hodie adhuc aſſeruatur.

CAP. XVII.

INITIVM ET CAVSA S. CRVCEM quotannis mergendi in aquam.

TErtia dies Maij, quam Eccleſia Sanctiſſimæ CRVCIS inuentioni feſtam per totum terrarum orbem agit, eſt etiam CRVCIS Carauacenſis cultui conſecrata, ea de cauſa, quòd pars ſit illius CRVCIS, in qua CHRISTVS ſalutem hominum moriendo reparauit, & hac ipſa die ab Angelis Carauacam allata, ſub titulo Apparitionis honoretur. Ad hanc igitur geminā celebritatem incredibile dictu eſt quanta ſingulis annis hominum multitudo ex omnibus Hiſpaniæ partibus confluat. Tribus autem diebus antè, & tribus pòſt nundinæ valde celebres agitantur, pluribus vndiq; mercibus importatis. Ipſa autem die, hoc eſt, tertia Maij, pro antiqua conſuetudine, adhibetur cærimonia, qua S. CRVX immergitur in aquam. Olim quidem tantùm ducebatur ſolemnis pompa ſupplicationis per plateas vrbis præcipuas, eademque die reponebatur S. CRVX in ſacellum, iam autem pridie feſtiuitatis à meridie aſcendunt ordine ſupplicationis venuſtè inſtituto ad ſacellū,

 quod

quod eſt intra arcem, Eccleſiaſtici & Senatores, cum ciuium & aduenarum turba; vbi Crvce ſuper altare collocata veſpertinæ preces ſuauiſſimo ſymphoniarum concentu perſoluuntur; quibus perſolutis, primariæ Eccleſiæ ſacerdotes & ſenatores, Crvcem thecæ ſuæ impoſitam accipiunt, iureiurando interpoſito quo, peractis de more cærimonijs, continuò ſe præfecto arcis reſtituturos pollicentur. Hanc deferunt ad templum parochiale, in cuius altari per totam noctem publicæ venerationi expoſita relinquitur, apertis valuis; quia templum quantumuis capax magnæ multitudinis, ſemper eſt refertum hominibus. Omnes enim cœleſti quodam ſolatio & interno gaudio videntur perfundi, quamdiu Crvcis præſentia fruuntur. Et ne vlli ſuſpicioni aut periculo ſit locus, ſenatores bini, diſtributis inter ſe horis, peruigilant vsque ad tempus ſummi ſacri, ad quod omnes dato ſigno conueniunt. Hora ſeptima matutina S. Crvx in ſua theca ſuper ferculum pulcherrimè exornatum imponitur, & ſupplicationis agmen exit, proceditque per ſpatium bis mille & quingentorum paſſuum, partim intra, partim extra oppidum, donec perueniatur ad columnam, in qua Christi de cruce pendentis effigies. Hanc columnam præterfluit riuus ſiue torrens, qui maiorem partem hortorum adiacentium irrigat. Ibi (niſi hoſpes aliquis Eccleſiaſtica dignitate inſignis præſens ſit, cui hic honor habeatur) ſacerdos, cui ex officio incumbit, qui de more eſt parochus oppidi, ex ſodalitio S. Iacobi, Crvcis è ſua theca extractæ partem extremam ter vndis immergit, non tamen, vt vult Oncala, nudum Crvcis pedem, ſed pedem auro incluſum & obductum. Quo tempore nullus eſt claudus, aut alia corporis infirmitate debilitatus & implicatus, qui non illicò ſe in aquas immittat; &, ſi fides eorũ mereatur, aut ad animæ ſalutẽ conducit, multis valetudo reſtituitur. Alij in vaſculis aureis vel argenteis aquam à pede S. Crvcis emanantem excipiunt, ſecumque auferunt morbis & ægritudinibus varijs ſalutarem medicinam. Quibus cæremonijs ex veteri inſtituto peractis, reditur ad ſacellum S. Crvcis pompa ſupplicationis per celeberrimas vrbis plateas reducta; nec vllibi ſubſiſtitur, niſi ad portam Collegij Societatis Iesv, vbi altare extemporaneum erigitur, & ad monaſterium Monialium Carmelitanarum.

Hæc

Hæc conſuetudo intingendi S. CRVCEM in aquas, vt retulit Ferdinandus Lopez ſacerdos, de quo ſuperiùs, introducta fuit circa annum MCCCLXXXIV. quando ciuitas Lorcenſis & oppidum Totanum vexabatur à locuſtis, agros, vineas & arbores gregatim depaſcentibus, perque ſuos ciues Carauacam ablegatos petebat, vt S. CRVX, magiſtratus vtriusque permiſſu, in aquas immergeretur, de quibus ad plagam auertendam ſecum aliquid domum deferrent. Nec ſecus, ac ſperarunt, euenit, cùm locuſtæ omnes triduo perierint, & mos ab hoc tempore CRVCEM quotannis in aquas intingendi inuiolabilis permanſit, vndæque, vt loquitur, Oncala, CRVCIS contactu ſanctificantur. Et addit hæc, confeſtim denſatis nubibus, imber deſcendit, & arua exſucca adeo fœcundantur, vt fruges hominibus, & pabula alendis pecoribus copioſè producant. Cuius rei non auritum, ſed oculatum teſtem me fateor, qui vt ſcriptis meis fidem maiorem conciliarem illuc profectus ſum. Affirmant quoque oppidani ætate prouectiores, ſe numquam meminiſſe hanc feſtiuitatem ſine opportunis & exoptatis pluuijs celebratam, quæ vna cauſa eſt, cur fructus colligantur vberiores, & vrbs illa præ reliquis in vicinia, opibus abundet. Et hoc quidem munere compenſat DEVS naturæ locique vitium. Eſt enim ea pars Hiſpaniæ ad meridiem ſolis ardori expoſita, & perpetuæ rigationis indiga; quæ fit quidem amnibus per riuulos deductis, ob pluuiarum tamen raritatem flumina ipſa interdum exareſcunt, nec tot agris humectandis ſufficiunt. Ideo Seruatori noſtro, ceu bonorum omnium fonti, ampliſſimas debemus gratias, quòd hanc CRVCI Carauacenſi vim tribuerit, cui honor & gloria per infinitas ſęculorum myriadas. Amen. Hæc Oncala.

Sed non adeo mirandum ex huius bipalmaris CRVCIS immerſione tot prouenire & ſcaturire miracula. Scribit enim Illeſcas, Part. 2. Pontificalis, cùm agit de Pio IV. pontifice, Ioannam Philippi II. regis Hiſpaniarum ſororem, principem Luſitaniæ, habuiſſe fruſtillum ligni S. CRVCIS, quod nunc aſſeruatur Madriti in cœnobio Monialium diſcalceatarum S. Franciſci, ab ipſa fundato, illudque iuſſiſſe intingi in aquam, & potandam dari ægrotantibus, qui pio affectu peterent. Et nouimus multorum corporibus attuliſſe ſanitatem; multorum inquam, non omnium, occulto DEI

indicio. Nam anno MDLIX. menſe Octobri nobiliſſima matrona Maria de Caſtro vxor Franciſci de Ciſneros, grauiſſimo morbo conflictata, ſummis precibus inſtitit apud prædictam Principem, vt ſibi mitteret aquam, cui portiuncula CRVCIS iniecta. Miſit ſed non profuit; quia decumbenti præſentes notârunt ex vaſculo emicuiſſe aliquid ſanguinis, ex quo ſtatim Ioanna Princeps collegit illam non conualituram, pluribus aſſerens idipſum accidiſſe. Prædictionem comprobauit mors Mariæ paulò poſt ſecuta.

CAPVT XVIII.

IN HORRIBILI ET REPENTINA TEMpeſtate S. CRVX absq; opera humana ſe conſpiciendam præbet in turris faſtigio.

SAtis hactenus demonſtratum arbitror quantam efficacitatem habeat S. CRVX ad morbos à corporibus humanis abigendos, & quaſcunque calamitates arcendas; nunc breuiter oſtendendum quantam vim exerat contra Dæmonis machinamenta; qui, vt corpora lædere aliquando prohibeatur, conatur tamen veteri odio inſtigatus, in fortunas & facultates hominum poteſtatem vſurpare, ſicut quondam externis bonis Iobum exuit, vt hac occaſione fiduciam in DEVM amitteret, & animæ detrimentum pateretur. Nec hodie ceſſat iiſdem technis Carauacenſes impugnare. Cùm enim cælum maximè ſerenatum, nullumque mutandæ tranquillitatis indicium apparet, ſolet ipſe frequenter in hoc tractu aërem ita turbare, & motu repentino nubes conglobare, vt intra quartam horæ partem nimbo & grandine ſcutatorum nonaginta millium iactura fiat: propter camporum enim & hortorum planitiem ita omnia inundant, vt mare ipſum eò effluxiſſe videatur. Quamobrem niſi ad S. CRVCIS præſidium confugeremus, millies iam actum eſſet de regionis huius habitatoribus. Nec ſolùm nobis DEVS auxilio per eam ſubuenit, quando precibus inſtamus, ſed ipſamet etiam ſe, nobis tacentibus, & nihil agentibus, propitiam exhibet. Exemplo ſit quod iam narrabo.

Anno MDXCI. die 7. Nouembris nulla erat tempeſtatis futuræ ſuſpicio, quia nec vlla nubecula cæli ſerenitatem obſcurabat.

Ea

Digitized by Google

Ea de cauſâ ſecurus Ioannes Martinez ſacelli S. CRVCIS cuſtos, in agrum ſuum ſe conferebat; & ecce ſubita & prodigioſa tempeſtas repente excitatur; tonitrua aures feriunt, coruſcationes oculos perſtringunt, & pluuia inter fulmina tam denſæ cadunt, vt quamvis locus eſſet propinquus, & ille plurimùm feſtinaret, vltra primas tamen oppidi ædes nulla ratione poſſet progredi, vt S. CRVCEM pro more ex theca depromeret, tempeſtatique opponeret. Incolæ autem non tam metu exterriti ſunt, quòd præter tenebras inductas viderent corruiſſe aliquot ædes; ſed quòd intelligerent nec ſacellanum, nec alium quenquam poſſe per plateas incedere, & ad arcem penetrare, qui S. CRVCEM in ſimili neceſſitate certum ſolatium & expertum, proferret. Sub hac trepidatione quidam ciues conſuetudinis gnari, oculos ad turrim ſuſtulerunt, ſupraque ipſius tectum conſpexerunt lucem ſplendidam, quaſi multæ faces arderent, in medio tamen longè ſplendidiorem; ideoque iudicârunt vel à ſacellano, vel ab alio S. CRVCEM expoſitam. Conſtitit tamen poſtea nullum prorſus mortalium in turri fuiſſe, neq; S. CRVCEM attigiſſe. Itaque grati agnouerunt eam ſine hominum adminiculo ad faſtigium aſcendiſſe, vt tempeſtatem maiora damna minitantem diſijceret. Cuius rei teſtimonium litteris conſignatum, & à fide dignis ſubſcriptum retinetur in archiuo S. Crucis.

CAPVT XIX.

ALIA QVAEDAM INSIGNIA ET SELECTA Veræ CRVCIS miracula.

ANNO MDLXXIV. S. CRVX ſolemni ſupplicatione inſtituta, pridie ipſius feſti ex ſacello deportabatur ad parochiale templum, & iam iam erat collocanda ſuper altare præparatum, cùm quædam mulier, cui brachium penitus arefactum emarcuerat, voce contenta exclamat, enixeq; flagitat, vt illud à S. CRVCE priùs attrectetur & conſignetur. Non potuit hoc pietatis officiũ denegari afflictæ fœminæ: CRVX admouetur brachio elanguido, & brachium dicto citiùs conſaneſcit. Illa præ gaudio in laudes DEI prorumpit, & vir ſex antè menſibus videndi facultate priuatus itidem magnis clamoribus poſtulat, vt CRVX oculis ſuis applicetur. Sed tanta multitudo in templum irruerat, vt nullus fuerit ac-

Digitized by Google

cedendi modus. Vrget igitur magnis precibus fœminam curatam, vt ſaltem ipſa oculos contingat, brachio iam in integrum reſtituto. Paret illa, & ille ſubitò lumen per tot menſes amiſſum recuperat. Dignum verè prodigium quod ad Christi gloriam ab omnibus celebretur, qui non ſolùm ipſi Cruci tantam virtutem indidit, ſed etiam membro Crucis attactu perſanato.

Anno MDXCII. propter ſiccitatem à menſe Octobri ad Martium vſque anni inſequentis continuatam, terræ non potuerunt ſemina mandari, atque ita ob pabuli & paſtus inopiam multa vbiq; pecora interierunt. Clerus igitur & ſenatus pridie Virginis Annuntiatæ. quo die ſumma cœlo ſerenitas & nullum omnino pluuiæ indicium, decreuerunt ſupplicationem ex oppido in ſacellum S. Crvcis; quam cùm obiiſſent, & preces ad hunc finem accommodas fudiſſent, tam copioſus redeuntes imber excepit, vt bene quidem madidi, ſed lætitia tamen perfuſi grates Deo perſoluerint.

Eadem poſtmodum æſtate tam denſa caligo & nebulæ cœlum ſæpius obtexerunt, vt ſegetibus certa pernicies timeretur. Sed ſupplicatione ad prædictum locum ſuſcepta, ita cœli facies perpurgata eſt, vt meſſis plusquam mediocris fuerit ſecuta.

Anno MCXCVIII. maxima locuſtarum copia & congeries ex partibus Lorcæ & Velez huc aduolauit, quæ iam in hortos & vineas, imò etiam in ipſas oppidi ædes ſe cœpit inſinuare & effundere, vt videretur vna ex plagis Ægyptijs. Statuerunt ergo Canonici & ſenatores in ſupplicatione ad calamitatem auertendam indictâ, S. Crucem per vrbis compita ſolemniter circumferre. Quo facto, ita locuſtarum agmina diſparuerunt, ac ſi nulla in toto tractu fuiſſet vnquam viſa.

Anno MDCI. Carauacam aduenit Iudex quidam Commiſſarius, emitque ab aurifabro quopiam cruces aliquot argenteas & æreas, ſed artifice occupato, nec quicquam ſuſpicante, præter emptas accepit aliquot inemptas, pretioque non reddito ſubduxit. Omnibus tamen in vnum faſciculum compactis & diligenter colligatis, acceſſit, & S. Cruci curauit admoueri. Admotas recepit, coramque altari in genua ſubſidit, vt cæterorum more precationi inſiſteret, funiculũ autem, quo erant colligatæ cruces, ſiniſtræ ma-

nus

Digitized by Google

nus digitis ſtudioſè illigauit, crucibus intra palmam vtramque retentis. Sed ſubitò aduertit ſibi cruces mirabiliter ſubtractas, manibusq; diſiunctis, nihil reperit aliud, quàm funiculum digitis aſtrictum: Erubuit, & cum dedecore proprio religioſis quibusdam furtum & totam geſtæ rei ſeriem expoſuit, vt poſt diſceſſum ſuum, nomine diſſimulato, miraculum panderent.

A menſe Auguſto, anni MDCV. ad Martium vsque anni MDCVI. nulla pluuia terram irrigauit, & quod ſeminatum fuerat præ ſiccitate exaruit. Ad notum perfugium confugêre ciues vtroque magiſtratu auctore, & *S. CRVCEM*, ſupplicatione decreta, per ciuitatis celebriores plateas honorificè circumtulerunt. Ad ſupplicationis finem largus imber nubibus effuſus eſt, & pluuia in quatriduum totum prorogata. Ex hoc tempore propoſuit adeoq; promiſit ſenatus ſacer & prophanus, diem feſtum Triumphi S. Crucis agere, qui incidit in XVI. Iulij, ſicut etiam XIV. Septemb. celebrat exaltationem eiusdem S. Crucis, quod antè non fuit vſu receptum.

Ex multis annis mos obtinuit, vt ſingulis ferijs ſextis per annum in ſacello S. Crucis diuinum Officium decantetur, adhibitis Diacono & ſubdiacono, iuxtaque Romanam conſuetudinem cærimoniæ examuſſim obſeruentur. Accidit aliquando, vt Congregationis præfectus obliuiſceretur thuris, & quia ei exploratũ acerram eſſe vacuam, domum recurrit, vt inde adferret. Sed illo tardiùs reuertente, iuſſit ſacerdos moram pertæſus, inſpici denuò acerram, quæ adeò thuris plena reperta eſt, vt etiam redundaret. Miraculum omnes deprædicarunt, & DEVM in S. Cruce, meritis laudibus extulerunt.

Anno MDCVII. Carauacam contenderunt Petrus Garzias, & Antonia Serrana coniuges, ex oppido Bolteruela, vt feſtæ celebritati Inuentionis S. Crucis intereſſent. Adduxerunt autem ſecũ filiolum nouennem, qui brachium caſu quodam diffractum, & nulla medicorum arte curabile à longo tempore mouere non poterat. Vbi verò *S. CRVX* in aquas fuit immerſa, immerſerunt & ipſi parentes filioli brachium, quod ſtatim potuit mouere. Veſperi aſcenderunt ad ſacellum S. Crucis, & oleo cuiusdam lampadis, pueruli brachium inunxerunt, meliusque habuit. Ex ſacello redierunt

Digitized by Google

runt ad aquas Crucis immerſione expiatas, brachiúmque rurſus immerſerunt, quod ita perfectè coaluit, vt nullum ſignum læſionis fuerit relictum, quod plerique ipſi vidimus.

Eodem die mulier ex oppido Cehegim filiam mutam adduxit, duxitque cum ea noctem inſomnem in templo parochiali, cuius altari ſacer theſaurus impoſitus cuſtodiebatur. Priusquam igitur ad ſolemnem merſionem S. Crux deferretur, impensè rogauit mater ſacerdotes, vt filiæ mutę os eâ contingerent. Satisfactum pio piæ matris deſiderio, & filia cœpit has ſyllabas balbutiendo frangere: Cru, Cru. Iterum S. CRVCEM applicarunt, & muta diſertis vocibus Devm collaudare non deſtitit.

Libet & illud reliquis miraculis adiungere. Multi ſunt ſculptores, fuſores, fabri lignarij, & ſimiles in diſſimili genere artifices qui cruces ex varia materia conficiunt, ad normam & formam S. Crucis Carauacenſis. Sed hactenus longa obſeruatione cognitum eſt, quantamcunque diligentiam adhibeant, nullum tamen poſſe ad iuſtam & abſolutam proportionem ac ſymmetriam accedere. Vel enim aliquid deſideratur in longitudine, latitudine, altitudine, & craſſitie; vel aliquid adijcitur. Ex quo facilis coniectura, Devm nolle permittere, vt Crucem Angelorum arte factâ, hominum manus rudes exæquare in omnibus poſſint.

CAPVT XX.

MIRACVLA PER CRVCES VERAE CRVCIS attactu ſacratas facta.

RAriora tantùm & exquiſitiora libabo, vt pietas & religio in Veram *CRVCEM*, & per hanc in Devm auctorem bonorũ omnium augeatur. P. Alphonſus Sanchez è Societate Iesv, vt ab hoc potiſſimùm ordiar, propter eximias & ſingulares virtutes, animique dotes egregias in tota Hiſpania iam pridem notus, habitauit priùs in huius oppidi Collegio annos aliquot, deinde ex laudabili & incenſa cupiditate animas ad Chriſti fidem adiungendi, facultatem impetrauit ad Indos proficiſcendi; qui Mexicum peruenit, hinc ad Inſulas Philippinas, inde iuſſu Gregorij xiii. Pont. Max. in has partes redijt. Hic inquam P. Alphonſus mihi, fidus teſtis retulit, quòd cùm ex portu Acapulco nouæ Hiſpaniæ tres na-

Digitized by Google

ues ſoluerent, vt per mare Meridionale, Sur vocatum, nauigarent ad Inſulas Philippinas, adeo ſæua tempeſtas concitata fuerit, vt duæ naues compagibus ſolutis demerſæ funditus perierint, tertia qua vehebatur ipſe, idem infortunium exſpectârit. In tantis anguſtijs conſtituto ſubijt memoria crucis cuiusdam ſtanneæ, quæ S. CRVCEM Carauacenſem attigit, quam ſecũ tunc geſtabat. Eam igitur de funiculo pendulam tradidit cuidam nautæ obijciendam fluctibus, quoties eos videret ad nauim allidi; quæ tantã vim habu- vt fluctuum quamuis ingentium impetus illico frangeretur, & tempeſtate paulatim ſedata, nauis lacera quidem, ſalua tamen Manillanum portum teneret. Hoc ita eueniſſe teſtatur Bartholomæus Alphonſus, P. Alphonſi Sanchez in ea nauigatione ſocius, qui nunc in Collegio Madritienſi viuit, & ſe quoque periculo defunctum gratus recordatur.

P. Iacobus de Soto eiusdem Societatis IESV religioſus anno MDLXXXI. ex hoc Carauacenſi Collegio Granatam negotiorum cauſa profectus, detulit ſecũ crucem, quæ huic Veræ CRVCI applicata erat, quam dono dedit D. Eliſabethæ Manſillæ, ſibi à tonitruis & fulgoribus valde metuenti. Hæc matrona cùm cœlum turbidũ tempeſtatem horribilem non minaretur tantùm Granatæ, ſed iam immineret, acceptam crucem tempeſtati è regione oppoſuit, quæ momento temporis remiſit, & ita nubes ſunt diſſipatæ, vt aëris tranquillitatem ipſa miraretur. Secum igitur reputans hanc crucem eſſe rem longè ſanctiorem, quàm vt in domo priuata & prophana conſeruaretur, eam tradidit templo cuidam maiore veneratione colendam, in quo pij homines occaſione miraculi, quod euenerat, Congregationem inſtituerunt à S. CRVCE nuncupatam, decreueruntque ſupplicationem in ſingulos annos repetendam ipſo die Inuentionis S CRVCIS, ſicut Carauacæ fieri ſolet.

Anno MDXCII. F. Iulianus de S. Hilarione, qui vnà cum pluribus alijs monaſticam religionem profeſſis nauigauit in nouam Hiſpaniam, & inde reuerſus hæc mihi narrauit. Vectum ſeſe aiebat quodam claſſis eo anno expeditæ in nouam Hiſpaniam nauigio, in cuius partem inferiorem deſcenderat famulus, vt cibos pro nautica turba exprometeret. Sed quia minùs cautè attendit, fa-

I uilla

Digitized by Google

uilla ex lychno accenſæ candelæ decidit in cadum pulueris tormentarij, qui flamma repente concepta crepuit, nauemque in profundum maris abripuit, vectoribus omnibus, ſe excepto, miſerum in modum extinctis. Ille autem à multis annis ſecum circumtulerat ex collo pendulam crucem ligneam, quæ S. Crvci Carauacenſi affricta, cui ſe in tanto periculo conſtitutum animo ſubmiſſo commendauit. Et iam quaſi à ſenſibus alienatus deprehendit ſe capite tenus eminere ſupra fluctus habitu conſueto indutum, ſibique videbatur ſub pedibus calcare ſolidum quiddã, cui innitebatur & ſuſtentabatur ne mergeretur. Toto autem tempore periculoſæ illius luctæ viderat crucem de collo ſuo ſuſpenſam aquis ita ſupernatantem, vt ne minimùm mergeretur. Quare nauis ex eadem claſſe ad illum propiùs acceſſit, cymbulamque ſubmiſit, in quam incolumis ſe recepit. Vnde non ille ſolus vitam diuinæ bonitati ſe debere per Crvcem Carauacenſem ex hac horâ agnoſcit, ſed agnoſcunt cum illo omnes, qui miraculum intuiti negant induſtria aut arte humana eripi illum fluctibus potuiſſe.

Prædictus P. Iacobus de Soto, qui traiecit in Indias, verſatus in ciuitate Angelorum metropoli prouinciæ Taſcalæ, in noua Hiſpania, ſcripſit ad hoc Collegium Carauacenſe, degere ibidem in Collegio eiusdem Societatis Iesv P. Morales virum eximiæ eruditionis, & opinione ſanctitatis celebrem, qui obtinuit, ſecumque in illas regiones attulit crucem ab hac vera Carauacenſi Crvce contactam. Et eo ipſo anno Mdxcv. tempeſtatem grandine, fulguribus, & fulminibus horribilem ex inſperato coortam, viſumque fuiſſe fulmen poſt coruſcationem & tonitru repentinum in ipſius cubiculum librari, ſed ille crucem expoſuit ad feneſtram, à qua fulmen rectâ ad ipſum deſcendens, tanta velocitate receſſit, vt vim quaſi ſuperiorem ſentire videretur, per murumque illapſum relinqueret fiſſuram indicem damni; quod daturum fuiſſet, niſi crucis præſentia illud auertiſſet, & impetum retudiſſet.

Eodem anno M. dxcv. Petrus de Portillo Carauacenſis ſcriba publicus, vir amantiſſimus veritatis, & magnæ apud omnes exiſtimationis cum mandato regio ad ardua quædam negotia gerenda in nouam Hiſpaniam miſſus, conſcendit nauem, cui nomen & inſigne Roſarij, appulitque ad Inſulam Ganoſiam in prouincia de Hondu-

Digitized by Google

Honduras quinto die Sept. Ibi tanta ventorum inter ſe pugnantium ſæuities extitit, vt neque vela nautæ colligere, neque aliud niſi naufragium & mortem præſtolari poſſent. Venit ergo in mentem Petro CRVX Carauacenſis, quam nouerat in huiuſmodi procellarum & turbinum diſcriminibus multa edidiſſe miracula, ideoq; fiducia in DEVM fretus, vnam crucem huius veræ CRVCIS attactu conſecratam tradidit cuidam ex ſocijs, vt funiculo alligatam in mare concitatum proijceret; proiecit & ſenſim malacia tempeſtatem excepit. Sub crepuſculum autem matutinum crux, vt erat funiculo alligata, fulgore, inſtar ſideris collucens, ſupra corbem ſummam reperta eſt. Gaudio igitur & incredibili voluptate perfuſi vectores omnes diuinum beneficium deprædicarunt, &, qui ſe iam inter mortuos reputabant, ſalui ad ciuitatem & portum Tonſillæ acceſſerunt.

Idem Petrus de Portillo in die D. Martino ſacro ſoluit ex portu Campechæ, qui eſt prouinciæ Yuacatan, nouam Hiſpaniam verſus, & conſcendit nauem onerariam, cui adiunctæ tres aliæ minores, in curſu acerrimis tempeſtatibus concuſſæ. Ille memor prioris beneficij, quo tempeſtatem ſimilem ſuperarat, crucem iterum funiculo alligatam dedit nauarcho, vt in furibundum mare demitteret. Quo facto, poſt viginti duos nauigationis dies, quæ aliàs quattuor aut quinque abſoluitur, inuecti ſunt tandem in portum S. Ioannis de Vlua: ex tribus autem nauibus minoribus duæ vorticibus hauſtæ perierunt, tertia intrauit eundem portum, rebus tamen omnibus euacuata. Nauarchus valde inſtitit, vt crucem illam poſſet retinere, pretio quantouis oblato; ſed Petrus detrectauit, quòd alia non ſupereſſet, & plures nauigationes cogeretur obire, antequam ad patriam renauigare liceret.

Idem ipſe Petrus in Hiſpaniam reuerſus Guadalupenſem B. Virginis Eccleſiam, voti & religionis cauſa inuiſit, & in ipſo templi aditu reperit fœminam à malo genio inſeſſam, quæ horrendis geſtibus fœdiſque motibus præſentes territabat. Sacerdos adiurator ſiue exorciſta, cui nomen Rubio, vir ab integritate vitæ commendatus, rogauit ex aſſiſtentium turba, num quis haberet ſacra Lipſana? Petrus, qui & ipſe ſpectatoribus immixtus aderat, crucem ſuam è tempeſtatibus liberatricem exprompſit, petentiq; ſacer-

doti obtulit. Energumena, depreſſo capite, boare cœpit: Caracaca, Caracaca, quanti illam facis? abijce ſis; hæc me torquet. Obſtupuêre omnes, & ipſe Petrus maiore eam in poſterum veneratione proſequutus eſt, quòd Dæmon vim eius ferre non poſſet. Nam licet aliæ cruces multæ porrigerentur ſacerdoti, nulla tamen obſeſſæ moleſtiam attulit, quia nulla Crvcem Carauacenſem attigit. Nec dubium quin longè plura contigerint miracula per Crvces Crvcis Carauacenſis attrectatione ſanctificatas, nos tamen latent: non enim ſine causâ tam feruenter & frequenter expeterentur à remotis etiam nationibus, tantique æſtimarentur.

Vnum Coronidis loco adijciam. P. Petrus de Buyza Societatis Iesv, qui nunc degit in Collegio Madritienſi, ſuo chirographo teſtatur, quòd miſſu Superiorum venerit anno MDC. in regnum Bohemiæ, ſecumque cruces aliquot tulerit à S. Crvce Carauacenſi contactas, vt pijs & catholicis hominibus diſtribueret: quarum vnam donauit D. Mariæ Manriqueziæ, Imperatrici Mariæ ſorori Regis Philippi II. & amitæ Philippi III. Regis noſtri à cubiculis. Quæ Maria Manriquezia, quòd eſſet raræ virtutis & prudentiæ, non modò apud Imperàtricem ſingularem inijt gratiam, ſed ab omnibus eximiè honorata nupſit Comiti Vratislao de Bernſtein, vni ex præcipuis & opulentioribus regni illius dynaſtis, qui poſt mortem ſuam reliquit ei ad dies vitæ pro compenſatione dotis & ſolatio viduitatis, ciuitatem Laithomislienſem, vbi ei P. Petrus crucem dedit. Hæc eidem P. Petro, negotijs confectis, illuc reuerſo narrauit, fuiſſe paulò ante ipſius reditum, adeò vehemens incendium in ciuitate exortum, vt breui temporis ſpatio domus octoginta abſumpſerit, nulloque hominum conatu potuerit extingui, & quamuis ceræ benedictæ orbiculi, aliæque ſanctorum reliquiæ in flammam fuerint iactatæ, ſemper tamen incendium ſerpſit latiùs, totique ciuitati metum incuſſit; quia hanc gloriam Devs ſanctæ cruci viſus eſt reſeruâſſe. Domina igitur Maria recordata crucis à P. Petro acceptæ, & ſimul miraculorum, quæ recenſuit, per eam factorum in periculis maximè incendiorum & tempeſtatum ſimilibusque calamitatibus, Roſarium, cui crux appenſa, affixit bacillo, quo vtebatur ad firmandum greſſum; & quia arx toto oppido eminentior, de feneſtra contra incendium protendit, ſtatimq;

Digitized by Google

ſtatimque flammæ, quaſi vim maiorem reueritæ quieuerunt, ita vt ciues de remedio deſperantes, & totam ciuitatem in cineres redigendam augurati, perſuaderent ſibi angelum de cœlo miſſum, qui gliſcens incendium repreſſiſſet. Ne verò miraculum alteri cauſæ adſcriberetur, connixit DEVS, vt aliud priore non minùs periculoſum in eadem ciuitate poſt dies quindecim excitaretur incendium. Domina ex præterito euentu confirmata, & fide ab experimento aucta, idem fecit quod antè, &, mirum dictu, ita incendium fuit repente ſopitum, & in ſe flammæ reſorptæ, ac ſi ſenſu prædita crucis aſpectum exhorruiſſent. Hæc poſtquam Domina P. Petro commemorauit, iuſſit ei oſtendi loca ciuitatis ab vtroque incendio vaſtata; qui inſpectis veſtigijs non potuit iudicare aliud, quàm DEVM præpotenti manu ſua per crucem incendiorum vires cohibuiſſe, ne tota ciuitas conflagraret. Ob gemina hæc miracula creuit pietas & veneratio Dominæ in crucem, quam inſtar theſauri pretioſiſſimi inter cimelia religiosè cuſtodiuit; quæ vt in alijs quoque pietas & religio creſcat exoptamus. Et hic finis eſto tam hiſtoriæ quàm miraculorum S. CRVCIS Carauacenſis, ad gloriam & honorem Domini noſtri ſempiternum.

CAPVT XXI.

CIVIS QVIDAM CARAVACENSIS EX PIO in S. CRVCEM affectu Collegium Societatis IESV Carauacæ erigit.

SI attentiùs paulò conſideretur totus vitæ noſtræ decurſus, nemo eſt qui non intelligat perpetuam quandam eſſe miraculorum ſeriem à concepto & nato homine vſque ad extremam viuendi metam. In ipſa enim infantia à quot infortunijs & periculis quaſi dormiens & inſcius cuſtoditur? A quot in adoleſcentia & iuuentute caſibus eripitur? A quot in virili & ſenili ætate incommodis liberatur? Homo tamen vel rarò vel nunquam ad DEVM Seruatorem reſpicit, aut gratum oſtendit animum, ſed in vitia ſine horrore delabitur, nunc odia exercet, nunc vindictam meditatur, nunc auaritiæ ſtudet, nunc habenas laxat effrenatæ voluptati, nunc mille modos conditorem ſuum offendendi excogitat. Be-

Digitized by Google

nignus interim Devs non retrahit manum, ad morum emendationem ſuauiter allectat, occaſionem ex flagitiorum cœno emergendi præbet. Quæ beneficia licet ſub aſpectum non cadant, nec corporis cernantur oculis, maiora tamen ſunt & præſtantiora, quàm quæ ſenſibus percipiuntur. Vnde Venerabilis Beda, in c. 9. Lucæ, multò plura dixit, & vere dixit, eſſe miracula interna quàm externa. Nam quoties ex ijs, quæ initio Devm videbantur ad iram prouocare, elicit ipſe innumera bona ad noſtram vtilitatem & gloriæ ſuæ incrementum? Cuius rei ſi nullum haberemus exemplum, haberemus certè in Michaele de Reyna ciue Carauacenſi, de quo non eſt neceſſe multa in medium adferre, cùm toti oppido conſtet, quæ ei propter vitam minùs probatam, & elationem animi aliquando acciderint. Sed quoniam nouit Dei ſapientia ouem ex lupo, Paulum ex Saulo facere, & hunc Michaelem mutauit in alium virum ætate iam ad finem præcipiti, tantumque ei amorem indidit aduerſus S. Crvcem, vt neſciuerit quonam modo eius cultum magis promouere & amplificare poſſet. Tandem in eam deuenit ſententiam nihil ad Dei & S. Crvcis honorem accommodatius, quàm ſi ſua operâ & facultatibus Religioſos Societatis Iesv in hanc ciuitatem introduceret. Quamuis enim hic Ordo fuerit tum recens, nec latè adhuc propagatus, ipſe tamen alijque prudentiores, ex fructu, quem tum ex eius laboribus deguſtare incipiêbat orbis, facilè in ſpem veniebant olim longè maiorem futurum & redundaturum ad plures.

Anno igitur MDLXX. de Collegio Societatis hominibus ſtabiliendo non tantùm deliberauit, ſed omnia ſua bona, quæ viginti millium aureorum ſummam exæquabant, ad hunc finem applicauit, applicaturus plura ſi poſſediſſet, & id propterea, vt, iuxta ipſorum inſtitutum, iuuentus in litteris & pietate auita informaretur, ætate autem prouectiores doctrina & exemplo eorum ad virtutem excitarentur, maximè cùm nullum aliud religioſorum domicilium eſſet in vrbe Carauacenſi, quamuis poſtea pro viris tria monaſteria fuerint condita, S. Franciſci videlicet, S. Hieronymi, & Carmelitarum diſcalceatorum, & duo pro fœminis, S. Claræ nimirum, & Carmelitanarum diſcalceatarum.

Res ipſa docuit quàm fuerit hoc opus neceſſarium, & ſalutare ciui-

Digitized by Google

re ciuitati. Ex illo enim Collegio multos viros inſignis eruditionis, virtutis & ſanctitatis eduxit DEVS, qui & in terris DEO fideliter ſeruiunt, & in cœlis ipſum perpetuò collaudant. Etſi nullus alius conſequeretur inde fructus, quem tamen in dies vberiorem aſpicimus, ille magni faciendus eſſet, quòd dicta Societas adeò feruenter, dextrè & conſtanter homines quoscunque ad ſtudium Chriſtianæ perfectionis hortetur, & vſum crebriorem ſacramentorum, Confeſſionis præcipuè & Euchariſtiæ, ſuadere nunquam deſiſtat. Quare poteſt hæc ciuitas non immeritò gloriari, & Michaeli de Reyna auctori tam fructuoſi & opportuni operis grates agere, in cuius animo DEVS tantam ſui deſpicientiam, & Chriſtianæ modeſtiæ ſeu humilitatis cupiditatem inſeuit, vt teſtamento ſuo apponere non dubitarit hanc exceptionem, vt ſi quis alius in poſterum augere vellet reditus Collegij, ille cenſeretur & appellaretur Fundator, ſe contentum nomine Benefactoris. Obijt autem anno MDLXXI. die 17. Ianuarij, relicto ſui deſiderio, & ſpe non dubia ſuæ ad cœleſtem patriam profectionis. Sepultus eſt in templo Collegij à ſe dotati. Sed anno MDXCII. cùm Collegium in locum commodiorem transferretur, transferendum fuit & eius corpus ad nouum templum, quod, apertâ tumbâ, adeo corruptionis & fœtoris expers inuentum eſt, vt omnes in ſummam admirationem adducerentur, memores ante viginti & vnum annos ad ſepulturam delatum eſſe. Sed voluit DEVS hoc beneficium etiam corpori eius impendere, quòd ad honorem Sanctiſſimæ CRVCIS dilatandum Collegium Societati IESV primus Carauacæ inſtituerit. Hæc ſiquidem Religio quaſi præconis officio fungitur ad promulgandam famam & miracula S. CRVCIS, non modò in his Europæ prouincijs, ſed etiam in diſſitis regionibus, & noſtro orbe penitus diſcluſis.

Ad maiorem DEI *Sanctiſſimæq;* CRVCIS *gloriam.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pag. 1. v. 12. lege, qui patet in longit. 15. 28. mortem Chriſtus ſuſtinuit. 22. 17. veſtris eleem. 34. 7. hac ei occaſ. 49. 18 proditio enim quaſi matris à filio facta longè grauiſſimum crimen fuiſſet. Populus itaque, &c 53. 4. Baza. 61. 8. exterriti.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA